Coll. Rom. Soc. Jesu



ARBOR ANICIANA

SEV

GENEALOGIA SERENISSIMORVM AVGVSTISSIMÆ AVSTRIÆ DOMVS PRINCIPVM AB ANICIA ANTIQVISſima nobiliſſimáque Vrbis Romæ familia deducta ſeptemque Libris explicata:


Bibliotheca ... secr. ... Coll. Rom. Soc. Jesu

AVCTORE

F. IOANNE SEIFRIDO SILESIO WRATISLAVIENSI Sacri Cistertiensis Ordinis in Monaſterio Claræuallis Auſtriæ vulgò Zvvethal Abbate.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO SAC. CÆS. MAIES:



VIENNÆ AVSTRIÆ
In ædibus Zvvethalenſibus ſumptibus Auctoris
Typis Joannis Fidleri

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

Digitized by Google

MATTHIAE P.F. AVG.

ROMANORVM IMPERATORI

GERMANIÆ, HVNGARIÆ, BOHEMIÆ REGI

Nobiliſſimæ Anicianæ & Auguſtiſſimæ Auſtriæ Domûs Culmini

F. IOANNES SEIFRIDVS ABBAS CLARÆVALLIS Auſtriæ, vulgò Zwethal.

S. F. P.

BIBLIOTEC

SACRVM Ciſtertienſem Ordinem, multis & omninò præclaris nominibus, Invictiſſime Imperator, cùm S. C. Majeſtati veſtræ, tum vniuerſis clariſſimæ & auguſtiſſimæ Auſtriæ Domûs Principibus, devinctiſſimum eſſe, juſtè infi-

ciari poterit nemo, qui tantæ neceſſitudinis rationes perceperit.

Neceſſitudo inter Domũ Auſtriam & Ord. Ciſtercienſem.

Principiò enim, vt hinc exordiar, ea ſemper fuit Habsburgiorum Auſtriorum erga hanc ſacram familiam benevolentia, ea liberalitas & munificentia, ea in conſervandis ſartis tectis privilegijs & immunitatibus noſtris cura & ſollicitudo, vt nõ ſolũ Monaſteria priſcorum Regum & Principũ pietate ac munificentia exſtructa, atq; huic S. Ordini noſtro dicata, vnicè foverint, liberaliſſimè magnificentiſſiméque auxerint ac dotârint: ſed etiam nova erexerint, vetera reſtaurârint, vniuerſa ampliſſimo beneficẽtiæ ſinu fuerint complexi. Longum eſſet, Sacratiſſime Cæſar, ſingulos hîc enumerare; vnũ duntaxat Rudolphum Primum Imp. proferam: à quo ad poſteros, ſicut perennia Auguſtæ dignitatis inſignia, ita non intermoritura rariſſimæ pietatis exempla ſunt propagata. Hic vnus pro cunctis docebit, quantum ipſe

ſemper

ſemper Sacro Ciſtertienſi Ordini detulerit, ac proindè quantum nos generoſę eius poſteritati debeamus. Non humile, non vulgare, ſed Auguſtum, ſed Imperatorium hac dè re producam teſtimonium, non ab homine privato acceptum, ſed ab ipſo Cęſare prolatū; non ex annalibus & chronicis petitum, ſed ex ipſius Rudolphi litteris deſcriptum. Sanè me felicem, mę beatum reputo, qui tanto dignatus & ditatus ſum theſauro, tam raro, tam charo; Epiſtolis, inquam, Rudolphi Primi, quas in perſcrutandis vęterum manuſcriptorum voluminibus in Bibliotheca Monaſterij S. Crucis manu vetuſta in membrana exaratas, numero ſuprà centum & quinquaginta repęri. Crede mihi, MATTHIA Imperator optime, majori exulto lętitia ob repertas has Epiſtolas, quàm ſi reperiſſem anulum illum ex auro, quod Magi obtulerant CHRISTO, fabrefactum; quo nēpè inſolitùm radijs emicantibus

Epiſtolæ Rudolphi I. ab auctore repertæ.

Mira de anulo aureo Friderici III. Regis Romanorum.

ſplendeſcente Progenitores veſtri certæ victoriæ ſpem ac præſagium capere ſolebant: quem à Friderico III. Rudolphi I. nepote aræ impoſitum (dum coràm ipſo res divina ageretur ante ineundum cum Ludovico Bavaro prælium) ex oculis omnium evanuiſſe, & tandem poſt multos annos in Auſtria repertum, & Alberto Contracto oblatum, ab eodem magno animi gaudio auidiſſimè acceptatum fuiſſe, vetus Chronicorum liber MS. ex eadem Monaſterij S. Crucis Bibliotheca à me erutus, planè atteſtatur. Verùm an hic præſagus & jure precioſus anulus inter vetera Sereniſsimæ Auſtriæ Domûs monumenta adhuc extet & aſſeruetur, equidem ignoro: de Epiſtolis verò Rudolphi Auguſti memoratis, tandem à blattis, tineis & pulvere ex diuturnis tenebris in lucem vendicatis, jure & merito nimium quantum gaudeo, mecúmque, vt confido, gaviſuri ſunt omnes rerum antiquarum ſtudioſi.

Libro 5. cap. 4.

In

In his igitur Epiſtolis crebra hinc inde ſparſa ſunt non leviter impreſſa veſtigia, ex quibus clarè perſpici poteſt, Rudolphum ergà vitæ noſtræ inſtitutum propenſiſſimo animo benevolentiſſimóque fuiſſe: quippe qui pręter ſpem & expectationem ad ſublime Romani Imperij faſtigium provectus, nihil antiquius habuiſſe videtur, quàm ad Ciſtertienſes ſuos quantocyùs recurrere, eorúmque preces & ſuffragationem apud DEVM pro ſtabiliendis Imperij ſui exordijs implorare. Extat ea de re Epiſtola breuis ab ipſo ſcripta ad omnes Abbates Sacri Ordinis noſtri Ciſtertij congregatos, hunc in modum.

Epiſtola Rudolphi I. Imp ad Ciſtertię Capitulum Generale.

Epiſtola 53.

Aſſumpti divinitùs ad Romani Imperij dirigenda molimina, dum in eminentis ſpeculæ celſitudine, cui nos manus DOMINI *virtuosè præfecit, ad deorſum ſubjacentis abyſſi faciem oculos retorquemus: dum incultum hactenùs agrum eiuſdem Imperij circumquáque proſpicimus tempeſtatum inſurgentium denſitate quotidiè ſylveſcentem: quodam nimirùm timore, pariter & tremore demittimur ex præmiſſis inſerta formidine meritò trepidantes. Verùm rejectis interdum, ad noſtræ primitivæ ſublimationis auſpicia noſtræ conſiderationis obtutibus; attendentes, quòd manus Altiſſimi de tam*

humi-

humilis loci tugurio ad tam celſa, tam faſtigioſa palatia nos provexit; in eo cujus admiranda potentia dat per gratiam eſſe ſtabilia, quæ ſunt fragilia per naturam, noſtræ fiduciæ ſpem locamus, præſumentes fiducialiter, quòd opus, quod omnipotentiæ ſuæ dignoſcitur ineffabili diſpenſatione contextum, felici præſagio conſummabit. Porrò cùm ad hoc juſtorum preces aſſiduas nobis ſummoperè neceſſarias æſtimemus, Devotionem veſtram attentiùs exhortamur, quatenùs debita gratitudine diligentiùs advertentes, quòd in veſtris agendis Regia vobis Celſitudo libenter aſpirat, piarum orationum veſtrarum ſuffragijs nos divinæ miſericordiæ commendetis.

Ciſtercienſis AbbasGeneralis reſcribit Rudolpho I. Imp.

Hactenùs Rudolphi Epiſtola ad vniuerſos Ordinis noſtri Abbates Ciſtertij congregatos, cui ex perſona eorundem quamprimùm reſpondit, qui præfuit ſacris illis comitijs, Ciſtertiēſis Abbas hac, quæ ſequitur, Epiſtolâ:

Epiſtola eſ.

Sereniſſimo Rudolpho Romanorum Regi electo, Frater Ioannes in illo feliciter agere, qui Regibus dat ſalutem.

Sublimitatis Regiæ veſtræ litteras ſuſceptas cum reverentia debita, legi feci coràm Fratribus de diverſis mundi partibus congregatis. Et quia eædem quaſi duplici fungentes officio noſtrorum Fratrum veſtræ Excellentiæ deuotorum exhiberi vobis deuotarum orationum ſuffragia poſtulabant; & vos eorundem ſingularem Dominum, dilectorem præcipuum, & prouiſorem munificum teſtabantur, non ſolùm auditæ fuerunt libentiùs & gratiùs intellectæ; verùm etiam ipſarum petitio efficaciter & hilariter meruit exaudiri. Nouerit igitur veſtra Serenitas, quòd pro veſtræ conſervatio-

neſa-

ne ſalutis pariter & augmento, pro Illuſtriſſima Domina Anna*, veſtræ Magnificentiæ participe & conſorte; nec non pro præclariſſima veſtra prole, vniuerſis & ſingulis fratribus totius Ordinis noſtri, Miſſæ & aliarum orationum ſuffragia ſunt impoſita & injuncta, ab eiſdem eò libentiùs & celeriùs divinæ clementiæ offerenda, quo vos patrem recognoſcunt benevolum, & ipſorum feruidum Zelatorem: quos, licet ex abundanti, veſtræ Excellentiæ propiùs recommendò; pro indultis eiſdem gratijs & favoribus ad gratiarum vobis multiplices actiones aſſurgens: paratus nihilominùs ea promptiori animo juxtà modum facultatis propriæ, effectu proſequente complere, quæ accepta novero veſtræ beneplacito voluntatis.*

Manifeſtum igitur evadit ex his duabus Epiſtolis, vt cæteras omittam, Rudolphum non ſolùm ſummo amore ac planè animo paterno proſecutum fuiſſe; ſed etiam maximis beneficijs & immunitatibus exornaſſe, Sacram familiam Ciſtertienſem; adeò vt etiam potuerit nomine debitæ gratitudinis ab ipſa exigere, devotarum auxilia orationum. Quam ſanè ſingularem animi propenſionem & benevolentiam ergà memoratum Ordinem, vnà cum Imperio Romano, ac cæteris virtutibus familiæ Habsburgiæ Auſtriæ proprijs &

annatis, à Rudolpho ad poſteros ſuos propagatam, & tandem recto ſanguinis fluxu ad te, MATTHIA Imperatorum generoſiſſime, derivatam eſſe; & multis ac claris hactenùs experimentis edocti ſumus; & in eadem te vſque ad ſupremum vitę diem perſeveraturum, nullo pacto dubitamus. Satis igitur vetus & ampla neceſſitudinis ratio ſupereſt, qua debitæ gratitudinis nomine Auguſtiſſimæ Auſtriæ Domui, vniverſus Ordo Ciſtertienſis ſingulariter eſt obſtrictus.

Sed ad ipſa Ciſtertienſis inſtituti incunabula veniamus, altioreſque tantę neceſſitudinis rationes exquiramus. Conſtat quippè ad eoſdem planè fontes, à quibus Sereniſſima Auſtria familia promanavit, ſpiritualis generis ſui claritatem referre Ordinem Ciſtertienſem. Eſt enim D. Benedicti chariſſima & clariſſima Soboles, quam ipſe ſacris ſuis inſtitutionibus in ſingularem

Virgi-

Virginis Deiparæ obſequium & ſanctę matris Eccleſiæ decus ac columen parturivit. Fuit autem S. Benedictus familiæ Aniciæ & Probæ germen: quam per Olybriam ac Perleoniam gentem in Habsburgiam Auſtriam derivatam, in eáque faſcibus & ſceptris Imperij in Occidēte, quæ dudùm in Oriente moderata fuerat, reſtitutā eſſe, infrà manifeſtis validiſque argumentis convincemus. Quocircà cùm ex eâdem ſtirpe, ex qua Domus Auſtria orta eſt, oriundus fuerit parēs ac legifer noſter D. Benedictus; conſequitur inter Domum Auſtriam & Ordinem Ciſtertienſem, ſicut & inter cæteras familias Religioſas, quæ ex D. Benedicti ſchola & diſciplina prodierunt, cognationem quandam ſaltem quaſi ſpiritualem intercedere oportere.

S. Benedict⁹ fuit germen familiæ Anicianæ.

Deindè cùm religioſæ vitæ inſtitutum non ſolùm in ijs rebus quæ ad animum pietate imbuendum moréſque formandos ſpectāt, ſed etiam in ijs quæ

Domus Burgundica fundatrix Ciſtercienſis Ordinis.

Ciſtertium mater Ciſtertienſis Ordinis.

ad corpus vitámque propagandam & tuendam pertinent, conſiſtat: Spiritualem quidem ortum vt diximus è familia Anicia, corporum verò ſeu temporalem, vt ita dicam, è Domo Burgundica Ordo trahit Ciſtertienſis. Vniverſi enim Ordinis mater & caput Ciſtertium, à quo cætera omnia Ciſtertienſia Monaſteria fluxerunt & dependent, in Burgundia à Duce Burgundię Odone ædificatum dotatúmque eſt. Quare cum familia Burgundica jam ſucceſſione & hęreditate tranſierit in Domum Auſtriacam: æquo etiam congruum eſt, vt Ciſtertium & Ordo, qui ex eo profluxit, quicquid à Burgundis Ducibus olim accepit, hoc totum nunc ac deinceps Domui Auſtriacę acceptum referat.

Odo Dux Burgundiæ fundator Ciſtercij.

Quod ſi porrò de eiusdem Ordinis incremento loqui velimus, quantum non debet D. Leopoldo? quantum non filijs eius? quorum ille primus hoc vitæ inſtitutum in haſce regiones indu-

S. Leopoldus primus Ciſtetrienſem Ordinem in Auſtriam induxit.

xit

xit & plantavit, hi verò etiam ſunt amplexati. Excitatus enim Chriſtianiſſimus Princeps fama ſanctitatis & doctrinę D. Bernardi, filijſque ſui Otthonis hortatu perſuaſus, annis abhinc fere quingentis, quarto à Vienna lapide in nemore Viennenſi accitis è Morimundo fratribus Monaſterium D. Virgini ſacrum ſub titulo victorioſiſſimę Crucis conſtruxit, annuiſque redditibus locupletavit: à quo deindè pleraque in Auſtria eiusdem Ordinis Monaſteria, quorum olim circiter vndecim fuêre, tanquam filiæ à matre ſua proceſſerunt. Filius verò eius Ottho non ſolùm hoc religioſæ vitę genus eſt amplexus; ſed etiam adeò in eo tantos pietatis ſtudio vitæque ſanctimonia progreſſus fecit, vt in primo illo Ordinis flore, feraciſſimoq; ſanctiſſimorum virorum ſæculo, præ cæteris dignus ſit habitus, qui Monaſterio Morimundenſi, quod vnum eſt è quatuor primis Ciſtertij filiabus, Abbas præficeretur.

Fundavit Monaſteriũ S. Crucis.

Ottho S. Leopoldi filius, Abbas in Morimundo.

Conradus S.Leopoldi filius Abbas II. Monaſterii S. Crucis.

a In Metropoli Salisburgenſi.

Leopoldus VI. Monachus in eodem Monaſterio S.Crucis.

Cuſpinianus in Auſtria.

Eodem modo alter eiusdem D.Leopoldi filius Conradus fratrem imitatus idem monaſticæ vitæ genus in præfato Monaſterio S.Crucis excoluit: in quo deindè, vt nõ ſolùm vetera eiuſdẽ Monaſterij monumenta teſtantur, ſed etiam ſcriptis prodidit Wiguleus Hund, qui[a] res Eccleſiæ Salisburgenſis ſtylo eſt proſecutus; ſummam Cœnobij præfecturam adminiſtravit, antequàm in Cathedram Patavienſem, & ab illa in Salisburgenſem eveheretur.

Vetus etiam ac conſtans viget in eodem Monaſterio traditio, à majoribus quaſi per manus accepta, Leopoldum eius nominis VI. Auſtriæ ac Styriæ Ducem, cùm ob intolerabiles cruciatus, quos ex fractura, equo ſuper crus eius collapſo, patiebatur, pedẽ amputãdum præbuiſſet; reliquum vitæ in eodem Monaſterio S. Crucis veſte indutum religioſa transegiſſe: cui quidem traditioni etiam Cuſpinianus in Auſtria ſua adſtipulatur. Cæterùm haud

me

me latet à noſtra ſentẽtia doctiſſimum Cæſarem Baronium S. R. E. Cardinalem in annalibus Eccleſiaſticis diſcrepare: Sed manifeſtum eſt ipſum Anglicanos ſecutum eſſe auctores, qui ob interceptum ab hoc Leopoldo eorũ Regem Richardum, odio pluſquam Vatiniano in eundẽ ſtylo ſatyrico ſcriptiſq; amarulentis ſunt debacchati. Sed hæc de re alias. *Cæſar Baronius Annal. Eccleſ. Tom. 12.*

Quantum igitur incrementi Ordinem Ciſtertienſem accepiſſe putandum eſt, cum cæteri minoris dignitatis homines; horum Heroum exemplo provocati, catervatim ad profitendam CHRISTI militiam accurrerent, eiúsque ſub cruce æterna mereri ſtipendia non inglorium ducerent; quod tanti Principes adeò glorioſum æſtimaſſent. Integerrimus profectò liber, Invictiſſime Imperator, non Epiſtola, contexendus eſſet; ſi ſingula proſequi vellem, quæ partim ab antiquis Auſtriæ Ducibus, partim ab Habsburgijs pro-

geni-

genitoribus Majeſtatis veſtræ in Ordinem Ciſtertienſem ſunt collata beneficia: præſertim ſi Monaſteria ab illis exſtructa, ſi donationes factas, ſi immunitates, ſi priuilegia, ſi cętera denique ſingularis erga ipſum propenſionis argumenta omnia enumeranda eſſent.

Tantis igitur & tam ampliſſimis Monaſteriorũ ędificijs auctus, ac innumeris gratiarum & immunitatum privilegijs munitus, Sacer Ordo Ciſtertienſis, per anteceſſores veſtros Clemẽtiſſime Cæſar, meritò & jure Majeſtati veſtræ, tanquam eorum legitimo ſucceſſori ac hęredi, omnibus ijs eſt devinctus nominibus, quibus ſingulis olim erat obſtrictus. Quanquam alia & nova huius obligationis ratio ex eo etiam accreſcit; quod Majeſtati veſtræ, ſacra inſuper Regum Vngariæ, & avita Regum Bohemiæ corona, & nunc etiam auguſtiſſimum Romani Imperij diadema, meritiſſimo ſit delatum, quorum omnium non vulgaria extant in vni-

verſam Ciſtertienſem familiam merita. Verùm illud inter omnes jam memoratas mutuæ neceſſitudinis rationes planè eximium eſt, & hactenus incompertum, quòd Rudolphus & Albertus filij Leonis Petri de Leone Habsburgij Auſtrij generis auctores, à quibus Sacra Cęſarea Majeſtas veſtra, ſicut & cætera Auguſtiſſimæ Auſtriæ Domûs lumina, longo Imperatorum ſanguine propagata deſcendit; pro defenſione Eccleſiæ Romanæ, eiúsque Pontificis Eugenij III. ex Sacro Ciſtertienſi Ordine ad vniuerſalis Eccleſiæ regimen aſſumpti, maxima vitæ diſcrimina adijſſe, ac demùm in cauſa eiuſdem Eccleſię & Pontificis potentiſſimo Romano cive interempto, patria extorres facti in Germaniam cõmigraſſe comprobentur. Quo egregio quidem ex flagrantiſsimo fidei ardore patrato facinore fortiſsimi illi athletæ ſibi, ſuæq; poſteritati, cùm inprimis totam DEI Eccleſiam eiúsque vnicum Sponſum

CHRISTVM, tum ſingulariter vniuerſum S. Ciſtertienſem Ordinem, cuius ſoboles & præcipuum lumen ac decus fuit Eugenius, devinctiſſimum reddidêre.

Quam ob rem ego qui non meis meritis, ſed DEI miſeratione, & Virginis beneficio in eandem Ciſtertienſem familiam ſum cooptatus: operæ precium me facturũ arbitratus ſum, ſi vniverſi Ordinis, meique potiſſimùm Clarævallenſis Monaſterij nomine (ad cuius ſupremam nuper præfecturam S.C. Majeſtatis veſtræ voluntate ex patrocinio promotus ſum) aliquod ſaltem leve ac rude ſpecimen grati & devinctiſſimi animi in publicum darem, quo Majeſtatem veſtram, vniverſósq; Auguſtiſſimæ Auſtriæ Domûs Principes omnis ſacra hęc familia complectitur, colit, veneratur. Itaque cùm animadverterem eam de Genealogia ſtirpis Auſtrię opinionem, quam quidam non tàm ſtudio veritatis, quàm adulationis

tempo-

tempore avi & abavi veſtri per Reges Francorum texere ſunt conati, jam jam inualuiſſe, tacitóque conſenſu Principum Auſtriacorum radices in animis hominum agere: extirpandum huiusmodi figmentum, denudandámque falſæ opinionis vanitatem duxi; non ſolùm quia Heroglyphico noſtro Cæſ. Majeſtati veſtræ ante quadriennium à nobis oblato contraria eſt, tôllitque illam neceſſitudinem, quam inter Domum Auſtriam & ſpiritualem progeniem D. Patris noſtri Benedicti quodam modo intercedere principiò dixi: verùm etiam quia arbitror id ad gloriam & majeſtatem Auſtriaci nominis maximè pertinere.

Vniverſum enim Gallicani ſanguinis & gloriæ ſuccum plerique illorum in neſcio quem Sigebertum hominem ignotum & patre nothò natum collectum, ad gentem Habsburgiam Auſtriam derivant. Quòd vt ſplendorem tantæ proſapiæ non minimùm obfu- *Lazius & eius ſequaces.*

ſcat, ita à veritate prorſus eſt alienum. Demonſtravêre hoc luculentèr & copiosè complures recentiores Scriptores: ſed quid ad hanc genealogicam controverſiam præterea ex noſtro ſtudio, labore & induſtria acceſſerit, Majeſtatis veſtræ, Lectoriſque judicio derelinquo.

Hunc igitur quantulumcúmque noſtrum tibi gratificandi conatum Sacratiſſime Imp. interim, donec potiora promamus, æqui boníque conſule, Ordinémq; tuum Ciſtertienſem more Auſtriacorum ſolenni, fove, protege, adauge.

Vale.

PIO AC VERITATIS STVDIOSO LECTORI.

ADmirari quidem iure poterunt multi Candide Lector, ſed damnare juſtè nemo, cùm facti perceperit rationem, quod eam opinionem, quæ modernorum Auſtriæ Principum generis originem à nobiliſſima Romanæ Vrbis familia arceſſit, hactenùs tot auctorum gladijs jugulatam, longoque ſilentio ſepultam, auſus ſim ab inferis excitare: cùm altera, quæ eorundem genus ad Gallicanam originem refert, omnium penè recentiorum, qui ea de re ſcripsêre, calculis ſit approbata, tacitoque Principum Auſtriacorum aſſenſu roborata.

Haud enim id effecit temeraria præſumptio, aut contumax contradicendi libido; ſed preſſæ veritatis agnitio, eiusque in priſtinam lucem vendicandæ amor. Nam etſi veritas aliquandiu premi poteſt; opprimi tamen omninò non poteſt: latet quidem denſis ſæpè obvoluta tenebris, ſed tandem radiolos quosdam emittit, quibus mens benè inſtituta veluti indicibus vſa, diſcuſſâ omni pravæ affectionis nebulâ, ad ipſam penetrare poſſit. Ante quidem tempora D. Maximiliani I. à tempore Rudolphi I. Imp. illa nullâ ſepta ambiguitatis caligine in omnium luce & ore verſabatur; donec Stabius ac alij poſtmodùm emersêre, qui eidem per vim ac tyrannidem vincula inijcere atque ipſam ſilentio & oblivioni tanquam carceri mancipare non dubitârunt.

Veritas opprimi non poteſt.

Stabius.

Sed qui primus noſtrâ memoriâ vinctæ ac diuturni ſilentij pædore ſqualliðæ, manus porrexerit, ni fallor Arnoldus Wion fuit; qui licet eam è tenebris exemerit, atque in lucem reduxerit, non tamen ita omnia eius vincula dirupit, quin remanſerit adhuc graviſſimis difficultatum catenis compedita. Miſeratus igitur miſeræ vicem & caſum, diuturnitatemque ac indignitatem vinculorum eius indignè ferens, non potui me continere, quin arreptâ certæ indaginis limâ, malleoque rectæ rationis vniuerſa eius, quibus hucuſque conſtricta fuit, vincula confringerem, comminueremque; atque ipſam in regnum introducerem ſuum & thronum, deturbatâ ex illo meretrice carcerique tradita, quæ hactenùs ſedem eius auſu ter temerario occupârat.

Arnoldus VVion.

Quod vt auderem ac facerem, triplici motus ſum ratione: inprimis enim id perſuaſit ſummus ille & innatus omnibus mortalibus veritatis amor; qui, deguſtatâ ſemel eius dulcedine, quantò majoribus in me crevit augmentis, tantò vehementiori pectus meum ſibi vendicavit affectu. Acceſſit deindè ad hanc animi propenſionem neceſſitas quædam ex voluntate & auctoritate regia, cui non ſatisfacere ac refragari nefas erat. Cùm enim MATTHIÆ II. Regi Vngariæ coronato Viennam redeunti nomine Abbatis & Monaſterij mei carmẽ gratulatorium hieroglyphicis figuris in-

Rationes ob quas auctor hunc ſcribẽdi laborem ſuſceperit. Matthias II. Rex Vngariæ.

ſigne Epiniciorum loco obtuliſſem; cuius dextrum latus decem Anicij, ſiniſtrum decem Auſtrij Auguſti Imperatores claudebant; apex verò Aniciæ, Probæ, Olybriæ, Perleoniæ, Habsburgiæ Auſtriæ familiarum proprijs inſignibus variegatus, ſub effigie Regis titulum ipſius continebat: Requirente Rege quid hieroglypha illa & reliquus circùm ornatus myſterij præ ſe ferret, coactus ſum tunc brevem & extemporaneam eorundem explanationem conficere; in qua, cùm ſpopondiſſem me fuſiùs & accuratiùs ea, quæ dubia videri poſſent, poſtmodùm probaturum, non potui, nec debui fidem meam apud tantum Principem depoſitam fallere.

Cęterùm multò flagrantiori ſtudio in hoc opus incubui, cùm audirem homines quoſdam contrariæ innixos opinioni, fumoſis majorum ſuorum imaginibus inflatos & elatos, eò temeritatis & audaciæ progreſſos, vt ſe Sereniſſimis Auſtriæ Domûs Principibus impudentiſſimè præferre non vereantur, ijsque ſe ad regnorum & provinciarum gubernacula tractanda digniores jactent; eò quòd vltrà fictitium illum Sigebertum majorum ſuorum imagines & ſtemmata oſtentare poſſint. Sed faxo vt non ſolùm intelligāt ſe hactenùs in magno errore verſatos eſſe: verùm etiam Domum Auſtriam à tam nobili & antiqua ſtirpe proficiſci, vt comparatione facta ipſi vix in vltimis minorum gentium familijs locum obtinere videantur.

Divisio toti' Operis.

Quare inſtituti mei erit, non ſolùm evincere gentem Habsburgiam Auſtriam ſtirpis Anicianæ germen eſſe: ſed etiam demonſtrare nullam in Vrbe & Orbe ante mille & ampliùs annos fuiſſe familiam, quæ generis claritudine & antiquitate potuerit ſe Anicianæ anteferre. Itaque totum opus in ſeptem partitus ſum libros. Primus docebit non ex Gallicano ſanguine, ſed ex nobiliſſima Vrbis Romæ familia, eaque Perleonia Habsburgiam Auſtriam Domū oriundam eſſe: deindè oſtendet, quibus auctoribus, quo tēpore, quóve pacto Perleonia in veterē Habsburgiam tranſierit familiam: poſtremò ex antiquis monumentis teſtatum faciet Perleones Habsburgiorum Auſtriorum majores, Aniciorum poſteros fuiſſe. Alter verò liber principiò Anicianæ proſapiæ excellentiam & majeſtatem compendio complectetur: inde ſe convertet ad inveſtigandam eiuſdem ſtirpis originem & vetuſtatem. Tertius arboris Anicianæ ramos ſeu amplitudinem, nimirùm eas familias deſcribet, quæ quidem germina fuêre ſtirpis Aniciæ, non tamen rectâ Genealogiæ lineâ propagines ſuas extendunt. Quartus per Anicios gentilitium falſorum Deorum cultum abrogatum, profligatas hæreſes, pacem & tranquillitatem Eccleſiæ & Imperio redditam demonſtrabit. Quintus plurimos eiuſdem ſtirpis tàm viros, quàm fœminas recenſebit, qui gloria confeſſionis, aut ſanctitate vitæ & rebus mirificè geſtis, aut inſigni Martyrij palmâ illuſtres fuêre. Sextus eorundem Aniciorum ſummos in Vrbe & Orbe Magiſtratûs, Præfecturas, faſces, coronas & diademata deſcribet. Septimus denique rectam Genealogiæ lineam exequetur. His porrò in libris, cùm ſæpiùs contigerit me à doctiſſimorum virorum ſententiâ diſcrepare: illud duntaxat Lectorem rogatum volo, vt ad legendum nihil præjudicatæ auctoritatis afferat, ſed rationes cuiusque ſuum obtineant pondus & momenta.

Proteſtatio Auctoris.

Vale.

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

MATTHIAS DEI Gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Auſtriæ &c. Dux Burgundiæ, Comes Tyrolis: Agnoſcimus & notum facimus vigore præſentium vniverſis, Quòd cùm Religioſus Devotus Nobis dilectus F. Ioannes Seifridus, Abbas Claræ vallis Monaſterij, vulgò Zvvethal, nuncupati, demiſsè Nobis exponi curârit, ſeſe Auguſtiſſimæ noſtræ Domus Auſtriacæ Opus Genealogicum magno labore & impensá non levi, ex ſelectiſſimis auctoribus & antiquiſſimis monumentis in certos libros digeſtum, prælo ſubijcere ac publici juris facere decreviſſe, Metuere autem, nè, quod ſubinde evenire ſolet, æmulorum fraude qui lucri captandi causá, novorum operum editiones typis ſuis dolosè, nonnunquam etiam vitiosè, imitari conſueverunt; ipſe, aut cui operam hanc locârit, Typographus, ſperato laboris ac impendij ſui fructu iniquè ad alios translato fruſtretur, ipſumque Opus alienâ negligentiâ, minùs nitidum, terſum, omnibusque numeris ſuis abſolutum in lucem prodeat, Ideoque ſuppliciter Nos rogarit, vt indemnitati eius hoc loci, Diplomate noſtro Cæſareo conſulere benignè dignaremur: Nos pro ſingulari animi noſtri affectione, qua in-

ſignes

ſignes iſtiuſmodi conatus libenter adjuvamus, humillimis illius precibus clementer annuendum duxerimus, vti vigore præſentium annuimus: Ac proinde vniverſis & ſingulis Typographis, Bibliopolis, aliiſque quibuscunque librariam negotiationem exercentibus firmiter inhibemus atque vetamus, ne quis prænominati Abbatis Opus Genealogicon Auguſtiſſimæ Domûs Noſtræ Auſtriacæ intra decennium à prima editionis die computandum, citrà voluntatem & conſenſum memorati Abbatis, aut eius, quē ad hoc delegerit, Typographi, clàm vel palàm, ſive in parte, ſive in toto, eodem vel ſimili typo aut forma, intrà Sacri Rom. Imp. aliarumque Ditionum noſtrarum hæreditariarum fines imprimere, recudere, aut alibi etiam impreſſum aut recuſum adducere, vendere, aut diſtrahere præſumat. Si quis verò ſecùs faciendo, Privilegium & interdictum hoc noſtrum Cæſareum ſpernere, negligere, aut transgredi conatus fuerit, eum non ſolùm huiusmodi libris perperàm quippè recuſis & adductis (quos quidem antedictus Abbas, eiúſve Mandatarius vbicunque deprehenſos, ſive propria authoritate, vel Magiſtratûs loci iſtius auxilio ſibi vendicare poterit) de facto privandum, ſed & pœna inſuper decem Marcharum auri puri Fiſco noſtro Cæſareo fraudis vindici & ſæpedicti Abbatis vſibus ex æquo pendenda, omni ſpe veniæ ſublata, plectendum decernimus, Dummodò tamen iſtiuſmodi Opus nihil in ſe ſcandaloſum, aut Orthodoxæ Religioni Catholicæ, Sacrique Rom. Imperij Conſtitionibus adverſum, vel bonis moribus contrarium, ſive in Præfatione, ſive Textu, ſeu aliás quocunque modo contineat. Et jam dictus Abbas terna ad minus exemplaria dicti Operis, proprijs ſuis ſumptibus quamprimùm ad Cancellariam noſtram Im-

peria-

perialem transmittere teneatur quatenus Privilegio hoc Noſtro vti voluerit. Mandamus ergò vniverſis noſtris ac Sacri Rom. Imperij, Regnorumque & Dominiorum noſtrorum hæreditariorum ſubditis, cuiuscunque ſtatûs, gradûs, ordinis, conditionis, dignitatis, aut præeminentię exiſtant, tàm Eccleſiaſticis quàm ſęcularibus, præſertim verò ijs, qui in Magiſtratu conſtituti, vel proprio, vel ſuperiorum ſuorum nomine & loco, juris ac juſtitię adminiſtrationem exercent, ne quenquam Privilegium hoc noſtrum Cęſareum temerè & impunè transgredi, aut violare patiantur, quin potiùs contumaces, ſi quos compererint, præſcriptâ pœnâ plecti, alijsque idoneis modis coerceri curent: quatenus & ipſi eandem mulctam evitare maluerint, harum teſtimonio litterarum manu noſtra ſubſcriptarum, & ſigilli noſtri Cęſarei impreſſione munitarum. Datum in Civitate noſtra Viennę, die tertia menſ. Decembris, Anno DOMINI 1612. Regnorum noſtrorum Romani primo, Hungarici quinto & Bohemici ſecundo.

Matthias.

Ad Mandatum Sacræ Cæſ.
Majeſtatis proprium.

Joannes Baruitius.

 AP-

APPROBATIO FACULtatis Theologicæ Univerſitatis Viennenſis.

GENEALOGIAM hanc Auſtriacam, quoniam nihil habet Catholicæ Religioni, aut bonis moribus adverſum; & doctiſſimam, & digniſſimam eſſe cenſet Facultas Theologica, quę typis evulgetur. Cuius nomine ſubſcribo.

Ego CAROLUS HITTENDORFFER, *SS. Theologiæ Doctor, Eccleſiæ Cathedralis Wratislavienſis Canonicus, & pro tempore eiusdem Facultatis Decanus.*

RELA-

RELATIO
DE REVEREND. D. IOANNIS SEIFRIDI ABBATIS ZWETHALENS, OPERE GENEALOGIÆ Auſtriacæ Hiſtorico

AD

Illuſtriſſimum, Generoſiſſimum, & Ampliſſimum Sacr. Cæſar. Majeſtatis interius & ſanctius Viennæ ſelectum Conſilium.

Sebaſtiani Tengnagel, I. V. Doctoris, & Cæſarei Bibliothecarij.

ILluſtriſſimarum Amplitudinum Veſtrarum Decretum, (quo mihi Reverendiſs. D. Abbatis Zvvethalenſis perſpectio & cenſura operis Hiſtorici injungitur) manu ex priſco ritu labris admota, venerabundus, vti debeo, accepi; eique è veſtigio obſecutus, antedictum opus accuratâ animi ingenijque contentione evolui, lectitavi, & à capite ad calcem vſque ſedulò excuſſi. De quo vt judicium liberè interponam meum, Illuſtriſs. Amplit. Veſtrarum, quibus abnuere ſummum nefas, Dictatoria auctoritate compellor.

Genealogiæ itaque Auſtriacæ à Reverendiſs. & Doctiſs. D. Abbate Zvvethalenſi ſummo ſtudio, incredibili labore, atque omnifaria multijugæ lectionis copia contextæ opus, quo inclytæ, & cœli Solisque vijs, vt ait ille, conterminæ gentis Auſtriacæ ſeriem ab Anicia & Perleonia familia Romana vetuſtiſſima, nobiliſſima, & ſemper florentiſſima longo deductam ordine arceſſit, dignum omninò, quod in Principum & litteratorum manus exeat, publicique juris quamprimum fiat, exiſtimo.

Vulgaria enim opinio, quæ Inluſtriſs. huius Domûs ſtemma Regum Francorum nothæ & adulterinæ originationi inſerit, ſub Maximiliano I. & Ferdinando A A. Impp. in Stabij, Menlij, Trithemij & Gebuilleri officinis primùm procuſa; deindè à Lazio varijs teſſellis incruſtata, falſoque interpolata, magna confuſione, repugnantia, temporum inſcitia, teſtium

omni exceptione majorum penuria; & quod familiam ducit, hominum ſuppoſititiorum inſertione laborat.

Hæc verò, quam R. D. Abbas tuendam atque exornandam ſuſcepit, ante Stabium & reliquos ſuprà enumeratos auctores, vulgari ac trito omnium, atque adeò ipſorum Archiducum ore celebrata, conſtanti fama divulgata, denique auctorum antiquitate, nobilitate, ac eruditione illuſtrium ſcriptis jam inde à Rudolpho I. Habsburgico variè aſſerta, & hucuſque propagata. Nam vt plures inſuper habeam, extant in Bibliotheca Cæſarea, tres veteres non contemnendæ notæ manuſcripti auctores, qui in hanc manibus pedibusque, vt fertur, concedunt ſententiam, eamque vt communem, paſſivam, atque cunctorum auribus linguisque vſurpatam produnt.

Sunt quidem nonnulla, quæ in diſquiſitionem (vtpote in nodo perplexo, & dubia, creperaque Scriptorum luce veluti per nebulam emicante) acriorem non immeritò vocari poſſunt, de quibus aliquammulti vitilitigatores haud dubiè ſerram reciprocabunt. Sed ne Jupiter quidem omnibus ſatisfacit: primus enim hic glaciem, licet lapſanti aliquandò fortaſſean pede, ſecuit; & rei Cimmerijs inantè tenebris offuſæ, quantum ſcivit, potuitque, Hiſtoricæ lucis ingenij ſui facula adſperſit.

Qua de cauſa, vt paucis faciam, cùm Reverendiſs. D. Abbas Sereniſſimam hanc familiam, jam diu ſitu ſqualoreque oblivionis, æternis quaſi damnatam tenebris, denuò dias in luminis oras feliciter eruerit, & antiquiſſima, celſiſſima, totiusque Europæ ſupereminentiſſima Romanorum Conſulum, Impp. Regum, Ducum, Pontificum, Epiſcoporum, & diverſorum Sanctorum cognatione ac ſtirpe in multifidos diſſecta ramos præclarè illuſtraverit, ac demùm politioris litteraturæ, cui Doctorum, Senatus & Eques haud dubiè applaudent, non vulgarem è penitiſſimo antiquitatum rariorum conditorio ſplendorem attulerit, magnam ſanè ab vniverſa Republ. Litteraria, Illuſtriſſimæ Amplitudines Veſtræ inibunt gratiam, ſi huic operi, politiſſimi & limatiſſimi ingenij ſui calculum adijcere, & Auctorem eruditum, ne diutiùs hæc monimenta publico invideat, hortari, & currentem, vt aiunt, incitare dignatæ fuerint.

AD LECTOREM
PROGRAMMA.

VNde ſit Auſtriadum Domus Auguſtiſſima neſcis,
SEIFRIDI Abbatis nî monumenta legas.
Nota ſit illa per hunc, notus ſit vt ille per illam:
Vis illam atque illum noſſe? Opus hocce lege.

ALIVD.

E Valle clara prodit hoc Opus; neque
Duntaxat Helveti juga penetrat apicis;
Proſapias ſed etiam in Italas ſeſe exporrigit,
Et vltrà ad ipſos vſque Perleonios;
Olybrioſque, Anicioſque proſilit,
Habsburgici dum quærit ortum germinis.
O clara vallis, clara claro Præſule,
Claroque clara Opere: Ædepol, ſi clara ſic
Necdum ſat es, magè clara fieri non potes.

ALIVD.

CVM non eandem humus omnis edat Arborem;
Hæc ſola Vallis edidit talem Arborem,
Non alia qualem potuit edere Arborem.

Raphaël Mniſch J.V. Doctor.

AVCTORES ET TESTES QVI IN HIS TRIBVS PRIORIBVS ARBORIS ANICIANÆ libris citantur.

A.

Acta Synodi Palmaris.
Agathias.
Aimonius Monachus.
Albertus Liber Baro de Bonſtetten MS.
Albertus Argentinenſis.
Aldus Manutius.
Alexander ab Alexandro.
Alphanus Archiepiſcopus Salernitanus.
Alphonſus Ciaconius.
Alloiſius Lollinus Epiſcopus Bellunenſis.
S. Ambroſius.
Ammianus Marcellinus.
Anaſtaſius Bibliothecarius.
Angelus Roccha.
Annales Eccleſiaſtici.
Annales Helvetiorum.
Annales ſacri & prophani.
Antiquitates Murenſis Cœnobij.
Antiquitates Monaſterij S. Crucis.
Antiquitates Monaſt. Wettingenſis.
S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus.
Antonius Bonfinius.
Antonius Demochares.
Antonius Vacca I.C. Romanus.
Appianus.
Archivum Caſſinenſe.
Archivum Monaſt. S. Gregorij in Vrbe.
Archivum Monaſt. Maris-Stellæ.
Archivum Reipublicæ Venetæ.
Aretinus.
Arnoldus Wion.
Auctor de Præfectis Vrbis.
Auctor appendicis ad Schafnaburgenſem.
Auctor Hiſtoriæ Bavaricæ & Suevicæ.
Auctor Hiſtoriæ Landgraviorum Thuringiæ.
Auctor anonymus Hiſtoriæ Auſtriacæ. MS.
Auctor vitæ S. Georgij Martyris.

S. Au-

S. Auguſtinus Eccleſiæ Doctor.
Auguſtinus Torniellus.
Aurelius Caſſiodorus.
Aurelius Prudentius.
Aurelius Symmachus.
Auſonius Gallus.

B.

BAchillerus Traſmira.
Berardus de Gerardo.
S. Bernhardus.
Beroſi antiquitates.
Bibliotheca Vaticana.
Bibliotheca Cæſarea Vienenſis.
Bibliotheca Caſſinenſis.
Bibliotheca S. Crucis.
Boëthius.
Bonifacius Simonetta.

C.

CArolus V. Imperator Auguſtus.
Carolus Sigonius.
Cæſar Baronius.
Capitolina marmora.
Chronicon Caſſinenſe.
Chronicon Nurſiæ.
Chronicon Monaſt. S S. Joannis & Pauli Venetijs.
Claudianus.
Codex Theodoſianus.
Columella.

Columnæ Capitolinæ triumphales.
Collenutius.
Corrippus Africanus.
Cornelius Nepos.
Cornelius Tacitus.
Cyrillus Monachus.

D.

DAres Phrygius.
Dictes Cretenſis.
Dionyſius Halicarnaſſeus.
Dodechinus Abbas.

E.

EGnatius Venetus.
Ennodius Ticinenſis.
Epiſtola Valentiniani III. Imp.
Epiſtola Romanorum ad Lotharium Imp.
Epiſtola Romanorum ad Condum Imp.
Epiſtolæ Rudolphi I. Imper. MS.
Epiſtolæ Pontificum Romanorum.
Epiſtolæ Gallæ Placidiæ Aug.
Epiſtola Anicij Pompeij.
Epiſtola Aniciæ Anaſtaſiæ.
Epiſtola Aniciæ Iulianæ.
Epiſtolæ Hormiſdæ P P.
Epiſtola Innocentij I. P P.

Epiſtola Lucij II. P P.
Epiſtola Cœleſtini P P.
S. Epiphanius.
Euagrius.
Eugipius Abbas.
Euſebius Cæſarienſis.
Euſtathius Conſtantinopolitanus.

F.

FAſti Conſulares diverſorum auctorum.
Faſti Græci.
Fortunatus.
Franciſcus Belforeſtius.
Franciſcus Roſierius.
Franciſcus Guillemannus.

G.

GAlfridus Monumetenſis.
Gaſpar Schoppius.
S. Gaudentius Brixianus.
Gallicanus Rhetor.
Gerardus de Roo.
Giſelbertus.
Glycas.
S. Gregorius Magnus.
Gregorius Turonenſis.
Guido Pancirolus.
Guntherus Ligurinus Poëta.

H.

HEnricus Conſtantienſis.
Henricus Gundelſingenſis MS.
Herodianus.
Hermannus Comes de Sulgovv.
S. Hieronymus.
Hieronymus Bardi.
Hieronymus Gebuillerus.
Hieronymus Rubeus.
Horatius.

I.

JAcobus Manlius.
Jacobus Spigelius.
Jacobus Wimpelengus.
Joannes Gruterus.
Joannes Annius.
Joannes Barrus.
Joannes Cuſpinianus.
Joannes Diaconus.
Joannes Menardus.
Joannes Nauclerus.
Joannes Ennekel.
Joannes Leunclavius.
Joannes Petrus Villa de Canibus.
Ioannes Piſtorius Nidanus.
Ioannes Stabius.
Ioannes Villanus.
S. Innocentius I. P P.
Iordanus Osnaburgius.
Iornandes Gothus.
Ioſephus Gruenpek MS.
Iuſtus Lipſius.
Iuvenalis.

Lam-

L.

L*Ampridius.*
Landinus.
Laurentius Surius.
S. Leo P P.
Leo Oſtienſis.
Libellus Fundatorum Murenſis Cœnobij.
Lucas Contilis.
Luitprandus Epiſcopus Cremonenſis.

M.

M*Acrobius.*
Marcellinus Comes.
M. Tullius Cicero.
M. Antonius Marſilius Columna.
M. Valerius Meſſala Senior.
M. Varro.
M. Velſerus.
Martyrologium Romanum.
Martyrologium Benedictinum.
Matthæus de origine Ducum Auſtriæ.
Maximilianus I. Imperator.
Meſſala Corvinus.
Michaël Eizingerus.
Miſcella.

N.

N*Azarius Celſus.*
Nicephorus.
Notitia vtriusque Imperij.
Numiſmata antiqua.

O.

O*Nuphrius Panvinius.*
Oroſius.
Ottocarus ab Orneck.
Otto Friſingēſis S. Leopoldi F.
Otto Friſingenſis Comes de Feringen.
Ovidius Poëta.

P.

P*Acatus.*
Pandulphus Subdiaconus.
Papinianus I.C.
S. Paulinus.
Paulinus Scriptor vitæ S. Ambroſij.
Paulus Jovius.
Paulus I.C.
Paulus Diaconus.
Paulus Morigia.
Petrus Diaconus.
Philippus Gothus Siculus.
Philo.
Pius II. P P.
Platina.
Plinius Senior.
Plinius Junior.

Pompo-

Pomponius Atticus.
Pomponius Lætus.
Pontus Heuterus Delfius.
Priſcianus.
Ponticus Virunnius.
Procopius.
S. Proſper.

R.

RAdevicus Friſingenſis.
Raphaël Volaterranus.
Richardus Rantchinus.
Richardus Strainius Baro.
Robertus ad Sigebertum.
Robertus Guanguinus.

S.

SAbellicus.
Scipio Mazella.
Seleſtadienſis.
Sextus Aurelius Victor.
Sextus Ruffus.
Sidonius Apollinaris.
Sigiſmundus Auſtriacus.
Smetius.
Socrates.
Sophronius.
Stephanus Vinandus Pighius.
Suidas.
Sulpitius Severus.
Suetonius.
Sibyllina Oracula.

T.

THeodoricus Gothorum
Theodohathus Reges.
Terentius.
Titus Livius.
S. Thomas Aquinas.
Thomas Bozius.
Thomas Porcachius.
Theodorus Zvvingerus.
Trebellius Pollio.

V.

VAlerius Maximus.
Victor Tunnenſis.
Vincentius Beluacenſis.
Virgilius.
Vitruvius.
Vlricus Krigius Tigurinus.
Vlricus à Klingenberg.
Vlpianus.

W.

WIchardus Baro à Polhaim.
Wiguleus Hund.
Wolffgangus Lazius.
Wolffgangus Sileſius M S.

Z.

ZAcharias Eutichianus (Rhetor.
Zonaras.
Zoſimus.

ARGVMENTA BREVIA OMNIVM SEPTEM LIBRORVM, *ARBORIS ANICIANÆ.*

PRIMO.

Germen Habsburgium Auſtrium.

SECVNDO.

Radix & Antiquitas.

TERTIO.

Rami ſeu Amplitudo.

QVARTO.

Folia.

QVINTO.

Flores.

SEXTO.

Fructus.

SEPTIMO.

Truncus eiusdem Arboris deſcribitur.

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE ROMA

ARBO-

ARBORIS ANICIANÆ LEMMA SACRVM.

HÆc dicit Dominvs Devs: Et ſvmam ego de medvlla cedri ſvblimis, et ponam verticem ramorvm eivs, tenervm diſtringam, et plantabo ſvper montem excelſvm et eminentem. In monte ſvblimi Iſrael plantabo illvd, et ervmpet in germen et faciet frvctvm, et erit in cedrvm magnam; et habitabvnt ſvb ea omnes volvcres, et vniverſvm volatile ſvb vmbra frondivm eivs nidificabit. Et ſcient omnia ligna regionis, qvia ego Dominvs hvmiliavi lignvm ſvblime et exaltavi lignvm hvmile, et ſiccavi lignvm viride, et frondere feci lignvm aridvm. Ego Dominvs locvtvs ſvm et feci.

Ezechielis Capite XVII.

SCRIPTVRVS de auguſtiſſimæ Domûs Auſtriæ origine, operæ precium eſſe duxi, animi mei inſtitutum, vniverſamque tractationis ſeriem compendio quodam complecti; atque in ipſa librorum fronte præfigere, vt ſtudioſus Lector primùm quaſi vno intuitu vniverſa contempletur, quæ ipſi deindè ſingula in toto operis decurſu ſpectanda ob oculos ponentur. Expedita enim ad abſolutam omnium rerum cognitionem via eſt, antè earundem confuſam ſaltem habere notionem. Vnde in omni diſputatione principiò inveſtigari ſolet, quid ſit illud, de quo ſermo ſuſcipitur: & ante ſcenam breuis ac ſuccincta totius fabulæ narratio præmittitur: & qui organis canunt, quædam præludia faciunt, quæ à græcis προαύλια nuncupantur, quo futuræ melodiæ modus accuratiùs ab audientibus præcipiatur.

Cogitanti igitur mihi quo potiſſimum pacto omnem inſtituti mei rationem certis limitibus circumſcriberem, atque in quaſdam verborum anguſtias coarctarē; occurrit ſupraſcriptus Ezechielis locus, quem cùm attentiùs conſiderarē, animaduerti in eo non ſolùm brevibus & apertis verbis, ſed & pulcherrimo eoque ad inſtitutum noſtrum accommodatiſſimo ſchemate ſummam totius operis noſtri perfectè deſcriptam contineri: adeò vt mihi vates ille divinus, quod quaſi in ænigmate & figura de CHRISTO complendum prædixit, non obſcurè alio ſenſu de ſtirpe Habsburgia Auſtria prænũciaſſe videatur.

Scio quidem iſtud plurimis planè novum & fortè non paucis etiam temerarium viſum iri: ſed in

promptu ſunt non ignobiles auctores, qui hoc genere interpretandi plærasq; ſacrorum Vatum prædictiones ad noſtra tempora accommodavêre. Verùm quicquid de hoc ſit (vnusquiſque enim in ſuo ſenſu abundat) illud tantùm contendo, prædictis Ezechielis verbis omnem inſtituti mei rationem & breviſſimè & accuratiſſimè explicari.

Nam quid conuenientius per ſublimem cedrum intelligi poteſt, quàm familia Aniciana; quæ, quemadmodùm cedrus illa, de qua ſacræ loquuntur litteræ, cæteras, quæ omnium arborũ proceriſſimæ ſunt, altitudine ſuperauit; ita nobiliſſimas quasque Romanæ Vrbis familias claritate generis & antiquitate longo poſt ſe reliquit intervallo. Vndè non ſolùm temporibus Honorij & Arcadij Impp. ſed etiam ſub Aurelio Commodo, qui longè ante illos imperavit, in ampliſſimo Romani Senatûs conſeſſu inuentus eſt nemo (vt ſuo loco teſtatum faciemus) qui potuerit Anicijs anteferri.

Planè ſublimis cedrus arbor Anicia, quæ in Ænea Trojanorũ Duce & Amno Tuſcorũ Rege altiſſimis defixa radicibus, per patricias Romanorum ſtirpes vſque ad Q. Anicium Prænestinum protenſa, deindè patulis diffuſa ramis nobiliſſimas Romanæ Vrbis familias complexa, per Probam & Olybriam gentem in Perleoniam porrigitur: in qua familia, quia paulatim cum Romano Imperio Vrbis etiam, ciuiumq; maieſtas & potentia diminuta eſt; cedrus quoq; Anicia in acutum deſijſſe videri poteſt. De huius ergo ſublimis cedri vertice medullã ſumpſit, tenerumq; diſtrinxit, atq; ſuper montem excelſum & eminentem plantavit Devs; cùm duos iuvenes è gente Perleonia oriundos veriſſimum arboris Anicianæ germen ob defenſionem Romanæ Eccleſiæ, patria extorres in Germaniam commigrare, ſedesque

in ſummis Helvetiorum montium jugis figere fecit: quæ propago vertentibus annis adeò felici germine pullulauit, atque in tantam ſuccreuit arborem, vt veriſſimè de ea Regius Pſaltes ceciniſſe exiſtimari poſſit, quòd impleuerit terram, quòd vmbra eius operuerit montes, quòd extenderit palmites vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines. *Pſalmo 79.*

Luce enim meridiana clariùs eſt, nullam vnquam familiam in Germania extitiſſe, in qua tot ſublimia imperia, tot diademata, tot ſceptra, tot thiaræ, tot circuli aurei, & gemmati reperiantur, atque in ſtirpe Perleonia Habsburgia; quæ cognatione & affinitate omnes penè Orbis Chriſtiani Principes complexa, tam longè lateque Imperium ſuum propagavit, vt illam olim Romani Imperij magnitudinem, quam cum ſtupore quodam omnium ſæculorum homines admirati fuere, ingenti mole, immenſisque terrarum ſpacijs ſuperare conuincatur.

Non igitur mirum videri debet, id quod hiſce ſuperaddit divinus Vates: nempè omne volucrum genus, ſub hac ingenti cedro cubilia nidosque poſiturum. Per volucres enim idem, quod in ſomnio illo Nabuchodonoſori Regi per quietem diviniùs oblato ſignificatur: nempè nationes & gentes; *Daniel. cap. 4.* quas vniuerſas imperium & ſigna Sereniſſimæ Auſtriæ Domus ſecuturas, atque ſub vmbra patrocinij atque gubernaculi eiusdem conquieturas, vir divino afflatus ſpiritu vaticinatur: quod quidem vaticinium magna jam ex parte completum, atque ad exitum perductum in Auſtria ſtirpe videmus: quippè cuius ſceptris non ſolùm maxima Chriſtiani Orbis pars, ſed etiam Orbis Novus vniuerſus ſeu America, quæ ſola reliquas tres mūdi partes Aſiam, Africam & Europam, magnitudine adæquat, jam multis annis regitur & gubernatur.

Porrò

Porrò ex eadem quoque ſtirpe Principem proditurum, qui non ſolùm labefactet, ſed etiam penitùs evertat Ottomannicum Imperium, illudque cum Romano rurſus conjungat, cùm è Sybillinis oraculis, tùm quæ ex illis profectæ videntur Aſtrologicis prædictionibus, libro ſexto vbi de ſummis Aniciorum magiſtratibus agemus, faciam manifeſtum.

Jam verò quod in eadem ſacra vaticinatione ſequitur, quis non videt de Ottocaro Bohemiæ Rege, & Rudolpho I. Habsburgio, conſequenter intelligendum eſſe? Planè lignum ſublime erat Ottocarus, quippe qui non ſolùm Bohemiam annexasque eidem Provincias crudeli premebat dominatu: ſed Auſtriam quoque Styriam, Carniolam atq; Pruſſiam complexus, ſceptra protenderat ab Adriatico vſq; ad Baltheum mare. Verùm quàm fuerit lignũ hoc ſublime, humi depreſſum & afflictũ à ſuprema illa ſemperque animis ſuperbia inflatis reſiſtente Numinis poteſtate, audi ex ipſo Rudolpho Imperatore, qui poſt debellatum Ottocarum ſcribens ad Romanum Pontificem hæc de eodem in fine Epiſtolæ habet: *Licet autem Rex prædictus militum ſuorum agmina diſſipata videret, ſeq́; ferè ab omnibus derelictum, adhuc tamen victricibus ſignis noſtris cedere noluit, ſed more & animo gygantæo virtute mirabili ſe defendit, donec quidam ex noſtris militibus ipſum mortaliter vulneratum vnà cum dextrario dejecerunt. Tùnc demùm ille Rex magnificus cum victoria vitam perdidit, quem non noſtræ potentiæ fortitudo, ſed* DEI *excelſi dextera cauſam noſtram miſericorditer judicantis interemit.*

Extat M. S. in Bibliotheca Monaſter. S. Crucis, Epiſtola Rudolphi, 1 2 0.

E contra verò ſignum humile exaltavit DEUS cùm Rudolphum Habsburgium, qui nihil minùs quàm de Imperio cogitârat, repentè incredibili omnium Imperij Principum conſenſione, præteritis

potentiſſimo Bohemiæ Rege alijsq; Germaniæ Regulis ex Comite ad ſummum Imperij faſtigium provexit: de qua mirabili dexteræ Excelſi mutatione mentio eſt in litteris Friderici Epiſcopi Salisburgenſis ad Romanum Pontificem, hiſce verbis: *Hoc eodem felici tempore, quo divina gratia revelante B. Petri Apoſtolorum principis, Pater Apoſtolice, meruiſtis aſcendere principatum;* Dei *filius benedictus in ſæcula viſitavit in partibus Alemanniæ plebem ſuam, & erexit cornu ſalutis nobis: cornua quidem juſti Dominus exaltavit hoc tempore & confregit cornua peccatorum, quæ aduerſus corpus totius Eccleſiæ corrumpendum, & in necem noſtram ſpecialiter ferebantur elata.* Ita planè per Rudolphum non ſolùm Imperij ſtatus tunc propemodùm convulus in integrum eſt reſtitutus: ſed etiam ſtirps Anicia, quæ per longa temporum curricula quaſi ſterilior facta, jam non ampliùs Conſulares & Auguſtales parturiebat flores, in eodem priſtinæ fœcunditati reddita, complures hactenùs nec prioribus virtute & rerum geſtarum gloria impares produxit Imperatores.

Epiſtola inter Rudolphi epiſtolas 42.

Sunt hæc quidem valdè magna, & eximia atque in ampliſſimis laudibus ponenda: ſed neſcio quid ſublime & arcanum adhuc abditum latet in poſterioribus vaticinij verbis, quæ altiori per veſtigatione ſunt enucleanda. Miraris enim fortè Lector, tantam quam breviter deſcripſimus Auſtriæ Domûs amplitudinem; ſed quibus ipſa artibus, quibus incrementis, quóve modo ad hanc ſtupendam Imperij magnitudinem pervenerit, ignoras? putásne tot Imperia, tot Regna, tot Provincias armis partas, aut auro comparatas? Fateor ſanè induſtria & armis quàm plurimas regiones à Principibus Auſtrijs perdomitas & ſubactas: ſed quæ vel ereptæ, vel defectione amiſſæ, vel jure repetendę fuerant: cęterum ex prima plurimarum acquiſitione nihil ſibi opes

nihil

nihil arma, nihil humana induſtria vendicat: totę opus Dei, totę donum Dei ſunt.

At quo pacto inquies? quoniam ipſe, vt Ezechiel ait, ſiccavit lignum viride, & florere fecit lignum aridum. Percurre enim animo & ſcrutare vniuerſum Orbem, quà Auſtrium patet Imperium, & invenies omnes penè Auſtriorũ prouincias & regna, non alia ratione in eorundem ditionem & poteſtatem redacta eſſe, niſi quia nobiliſſimas quaſque potentiſſimarum familiarum propagines, omni ſpe maſculæ prolis interciſa, arefecit & ſiccavit Devs, vt lignum aridum, ſtirps nempè Anicia, quæ in gente Perleonia penè intermori viſa eſt, earum exuvijs & bonis aucta ac ornata, longè lateque floreret. An non ita vnicus, qui reliquus fuerat è ſtirpe Ducum Zaringenſium palmes eo ipſo die præciſus eſt, quo primùm Rudolphus Habsburgius in hanc lucem eſt editus; vt ad eundem poſtmodùm omnia Ducum prædictorum bona devolverentur? An non eodem modo Comites Ferretenſes & Kiburgenſes exaruêre, vt eorum opibus locupletati Habsburgij, florentiſſimi potentiſſimique redderentur?

Sed vetera illa, quæ nimis à noſtra memoria ſunt remota, omittamus; tranſeamuſq; ad propinquiora noſtræ ætati, ideoque magis nota. Nonne hoc pacto ſtirps illa ſublimis Burgundica, fœcunda plurimorũ Ducum mater arefacta eſt, vt Auſtrij Burgundia & ſuperbiente tot opimis provincijs Belgio potirentur? Vbi Regiæ illæ familiæ, quæ Hiſpanijs, quæ Arragoniæ, quæ Luſitaniæ, quę Siciliæ tot rectores ac moderatores antè procrearũt? nonne exaruerunt, vt eis in ijsdem regnis ſuccederet Sereniſſima Domus Auſtria? Quid priſcos illos Hungarię & Bohemię Reges referam? nonne eorum germina in

ipſo flore pręfocata ſunt, vt eorundem loco inſerti Auſtrij, pro illis regnarent.

Sed penè me ipſa pręterijſſet Auſtria; quam certè conſtat, non niſi legitimo ſucceſſore & hęrede deſtitutam, in Habsburgiorum poteſtatem deveniſſe. Vidésne igitur Candide Lector, vt DEVS ſiccârit lignum viride, & florere fecerit lignum aridum? Atque hęc quidem, quę olim DEVS per Vatem ſuum divino afflatum Spiritu, multipliciter implenda fore prędixit, & jam non ſolùm in CHRISTI filij ſui imperio, ſed etiam in extollenda Domo Auſtria hoc noſtro ęvo opere perfecit, hîc pręfari operępretium duxi; vt nimirùm Lector obiter deguſtata divinę Sapientię ſuauitate, quę in riganda, fovenda & ornanda Arbore Aniciana, eademque transplantanda, atque adeò amplificanda eluxit, majori animi ardore ac impetu feratur, ad perluſtrandum inſequens opus, in quo hęc omnia fuſiùs accuratiusque diſſerentur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ARBORIS ANICIANÆ GERMEN HABSBVRGIVM AVSTRIVM.

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Opinio eorum qui Habsburgios Auſtrios, ex Gallicano Regum ſanguine deriuant.

De Genealogia Principũ Auſtriacorum duæ opiniones.

DVÆ ſunt planéque aduerſæ Auctorum opiniones, qui Genealogiam modernorum Auſtriæ Principum texuerunt: quæ cum è diuerſis radicibus oriantur, tandémque poſt multos enumeratos gradus in vnum coaleſcant, Pythagoricam literam, ſiue Jordanem ſacrum flumen, qui, vt Diuus Hieronymus tradit, ex duobus diuerſis fontibus Jor & Dan in vnum confluentibus nomen accepit, adumbrare videntur.

S. Hieronymus in capit 16. Matthæi.

Prima Opinio.

Nam una earum dextrum tenens latus à Q. Anicio Prænestino, qui anno ab V. C. quadringenteſimo quinquageſimo Ædilis Curulis fuit, per Aniciam, Probam, Olybriam,

Perleoniam nobiliſſimas Romanæ Vrbis familias gradum faciens, tandem in gentem Habsburgiam, & inde in Domum progreditur Auſtriacam.

Secunda opinio.

Altera verò veluti ab ipſo mari, ex quo omnia flumina prodire ſacræ litteræ teſtantur, exorſa, nempè à Noacho, à quo poſt Cataclyſmum vniuerſum humanum genus tanquam à fonte deſcendit; per Cham paternis deuotum diris (quod vehementer Maximiliano Primo diſplicuit, vt infrà referemus) ad Scythas gaudentéſque cæde Sicambros ſiniſtrorſum flexa in Francos & Gallos prouoluitur. vndè quaſi per varios ſcopulos, Scyllæáque ſaxa ſumma opinionum varietate & inconſtantia turbidè delata; & tandem in Alberto Rudolphi Primi Imperatoris Patre, cum prima opinione coincidens, pariter deinceps cum ea & quaſi vno alueo ad modernos vſque Auſtriæ Archiduces prolabitur.

Cap. ſeq.

Quis primus auctor ſecūdæ opinionis.

Cæterùm huius commenti non fuit primus auctor, vt vulgò putatur, Hieronymus Gebuillerus, ſed vt teſtatur [a] *Cuſpinianus, Joannes Stabius Mathematicus Hiſtoricus & Poëta Maximiliani I. Imperatoris: à quo deindè totum hoc figmentum mutuatus Gebuillerus, illud Cæſari vendidit Ferdinando tanquā ſuum. Alij tamen non ita in altum euecti, ſeſe intrà fines Galliæ continuerunt: vt Trithemius, Manlius, Spigelius, Lazius, Eizingerus, & horum ſequaces, quibus ſatis fuit, aut à Franco Sicambro, aut à Pharamundo genealogiæ ſeriē ordiri.*

[a] In deſcript. Auſtriæ.

Stabius. Gebuillerus. Trithemius. Manlius. Spigelius. Lazius. Eizingerus.

Porrò dictu incredibile eſt, quanta hi auctores non ſolùm diuerſitate, ſed etiam inconſtantia & varietate, ac crebra tanquam tempeſtatum ſic ſententiarum commutatione vſi ſint, in deriuando ſanguine Gallicano ad Habsburgenſium Principum gentem. Nam præterquàm quòd omnes ſectati diuerſos rivulos, alius alia inceſſit via: Joannes tamen Trithemius præ cæteris magis dubius & anceps & tanquam in ſalo hærens, neque ſatis vnquam inde ſe expedire præualens, triplicem effinxit Genealogiæ ordinem, vt ſi non vna, ſaltem altera aut tertia linea rem, vt dicitur, quaſi acu tangeret. Quibus etiam ſcrupulorum fluctibus agitatus,

Triplex opinio Trithemij.

tus Lazius, cùm ſibi ea, quam primùm contexuit, Genealogiæ ſeries minùs arriſiſſet, commentus eſt ſecundam: quam deinde tanquam ex oraculo Apollinis Pythij editam ſecutus eſt Eizingerus ac cæteri recentiores.

Duplex opinio Lazij.

Verùm quo potiſſimùm fundamento nixi ſint huius opinionis architecti, audiamus. Habsburgum inquiunt, à quo Habsburgiis nomen, non eſt illud, quod in Ergouia ſitum, ſed quod in Voſagis montibus, nunc mons Romaricus appellatur: hoc enim nomine nuncupatum reperitur, cùm apud Robertum Guagninum in vita Ludouici Cæſaris Caroli Magni filij; tum in ipſius Monaſterij ex eodem caſtro erecti fundatione ac dotatione: quæ multò antè facta eſt, quàm aut Habsburgum in Ergouia conderetur, aut Perleones in Germaniam commigrarent.

Fundaméta aduerſariorum.
Stabius in arbore Pharamundica.
Eizingerus in prima theſauri Principum parte.
Robertus Guaguinus in vita Ludouici Cæſ.

Addunt prætereà plurima antiquitatis monumenta partim in Murenſi Cœnobio, partim in illo Ciſtertienſis inſtiti quod Maris ſtella vulgò Wettingen appellatur, extare: ex quibus fieri teſtatum dicunt Comites ab Habsburg jam antè Perleonum in Germaniam aduentum magna potentia magníſque opibus in Heluetiorum partibus floruiſſe; eorúmque maiores, Comites ab Altenburg nuncupatos fuiſſe.

Gebuillerus in Genealogia Cæſ. Ferdinandi lib. 2.
Lazius in Comment. familiæ Auſtriacæ.

Porrò horum Comitum veteris Caſtri ſiue ab Altenburg progenitores oriundos fuiſſe ex regio Francorum ſtemmate, vt probet Lazius, aſſerit Sigebertum quẽdam Theodeberti Regis filium fuiſſe, qui reliquis eiusdem liberis à Theodorico fratre & Brunichilde auia interemptis, mortis periculo, fugæ præſidio exemptus, aliquandiu apud cognatos ſuos Orientalis Franciæ Duces delituerit, donec ſublato è viuis Theodorico Ducatu à Clothario in ſuperiori Germania eſt donatus à cuius deindè poſteris Comites Altenburgicos, & ab his Habsburgios Lazius & alij tradunt eſſe profectos: Lazij hæc ſunt verba:

Quorum exordia luculentiùs paullò ab eodem Sigeberto, ſimiliter vt Turonenſis, Annonius etiam antiquiſſimus Francorum Chronographus repetit his verbis: Theodebertus autem Rex miſerabili morte peremptus,

In Epiſtola dedicatoria Comment. Auſtriacæ familiæ.

tres filios & vnam, vt legitur ſpecioſiſſimam filiam reliquit, Sigebertum videlicet, Guntramnum & Clotharium, nomen filiæ nunquam reperi. Rex verò Theodoricus Coloniam ingreſſus præſcriptos duos filios minores fratres, Clotarium, Guntramnum, & ſororem eorundem ad ciuitatem Metenſem captiuos miſit. Quibus crudeliter auia Brunechildis occurrens, nimio ſuccenſa furore in odium genitoris occiſi ſuper eos irruit & nepotes adhuc parvulos manu propria interfecit. Sigebertus autem natu minor Theodeberti filius quorundam ciuium Coloniæ auxilio ſubmiſſus per murum ſecretiſſimè transmiſſo Rheno in habitu Scholaris aufugit: veniensque in Franciam Orientalem apud cognatos ſuos Gundoaldum & Gotefridum Duces Francorum, circa Mœnum in Wirtzenburg principantium, aliquot annis latuit incognitus. Qui tandem poſt obitum Regis Theodorici, principum interuentu, Ducatũ in Alemañia ſuperiore, quæ nunc dicitur Transjura, donatione Lotharij Regis accepit, ſed neque nomen Regni nec Diadema portare more parentum ſuorum permiſſus eſt, & manſit ſub ditione Regum Francorum, genuitque filium nomine patris ſui Sigebertum.

Hactenus Lazius non ex Gregorio Turonenſi, aut ex Aimonio monacho, ſed ex proprij capitis inſomniis, vti infrà demonſtrabimus.

Cap. 3.

Hæc inquam illorum ſunt fundamenta, qui commenti ſunt ſereniſſimam Auſtriam familiam à Regum Franciæ ſtirpe profectam. Eos enim auctores conſultò præterimus, qui præter calumnias nihil rationis, nec auctoritatis afferunt ad ſtabiliendam ſuam opinionem, quorum in numero facilè princeps eſt Spigelius, qui veluti Cato quidam cenſorius altero ad frontem ſublato, altero ad mentum depreſſo ſupercilio, hanc in ſibi aduerſariam opinionem pronunciat ſententiam: Nec nos mouere debet quorundam ſtultitia, ſuam originem ad Romanos referentium, qui ſi ſcirent nullam in Italia nobilitatem eſſe, quam non Germani eò aduexerint, non haurirent aquam è riuulis, ipſo fonte contempto. Ridiculum ſanè quòd Volaterranus D. Maximiliani Auguſti progenitores, ait fuiſſe quoſdam, neſcio, Perleones Romanos, cùm pura puta ſit è Francorum ſanguine Principibus Auſtriæ, Burgundiæ, Brabantiæ Hollandiæque origo.

Spigelius in Scholus ad lib primũ Poeta Ligurini, & l. 12 Scholiarum in Auſtriades Richardi Bartolini Peruſini.

Hæc pro grauitate ſua Spigelius, cuius auctoritas ſi quoquo modo magnifacienda eſſet, non ſolùm vniuerſæ pœnè Italiæ nobiliores familiæ hominem ex jure manu conſertum vocarent; ſed pleræque etiam præcipuæ in Germania cognationes, quæ ſe ſtirpis ſuæ auctores Italos habere gloriantur, litem eidem intenderent, quibus cum ipſi juſto ſacramento contendere non liceret. At de his inferius.

Cæte

Cæterùm, quod me pœnè præteriiſſet, præter rationes pro hac opinione jam allatas, Gerardus de Roo, qui nouiſſimè Hiſtoriam Auſtriacam ſcripſit, tradit verſiculos quoſdam in vetuſto repertos Chronico manu in membrana exarato, qui de Rudolphi filiarum connubijs facti, & ipſi & vxori Annæ genus ex Alemannis eſſe affirmant. Sed optaſſem vt auctor verſiculos iſtos, ſicut alios Hiſtoriæ ſuæ inſeruiſſet, quo omnibus certiùs liquidiúsve de eorundem fide ac interpretatione conſtitiſſet. Sed hæc ſatis de prima opinione. Gerardus de Roo. *Libro primo circà initium.*

CAPVT II.

Judicium & cenſura grauiſſimorum virorum de prædicta opinione & de eiuſdem Auctoribus.

AGgreſſuri itaque ſuperioris opinionis fundamenta conuellere, quoniam continget interdum nos eiuſdem auctoribus acriter refragari: ne hoc nimiùm audax alicui videri poſſit, cùm comparatione inter me & illos facta ob eximiam litterarum exiſtimationem, quam illi dudum apud plerosq; de ſe non nullis ſuis lucubrationibus cõcitarunt, ego qui primùm in hominum lucem prodeo, vix in vltimis Scholaſticæ vmbræ & minorũ gentium litteratoribus locum obtinere poſſim: operæpretium eſſe duxi hic prius in medium adducere, quid ante me de iiſdem & eorundem opinione ſenſerint Viri graves & eruditi.

Ac primùm quidem, vt à Stabio ordiamur, etſi Maximilianus I. Imperator eius inventionem tanquam fœcundi ingenij partum admiratus eſt, ac collaudauit: tandem tamen re penitùs perſpecta eam vetuit cenſuitque abrogandam. Cuius Cenſura Maximiliani I. Imperator. de Stabij opinione.

 rei

rei & auritum & oculatum teſtem tibi profero Ioannem Cuſpinianum, qui proximè ante Catalogum Ducum Auſtriæ ex gente Habsburgia, hæc de ſe ipſo refert:

Ioannes Cuſpinianus in deſcript. Auſtriæ.

Audiui ego corām D. Maximilianum ſæpiùs loquentem cum meo Stabio. Tu me ex arca Noe deducis? & ſtemmatis originisq; meæ auctorem tribuis Cham, tertium ſcilicet filium Noe, qui pudenda patris detexit? quaſi ex radice non bona poſſit produci ſtirps bona & fertilis; cùm tamen mala arbor nunquam bonum producat fructum: Et licet Stabius acutè D. Cæſari multis aulicis aſtantibus reſpondiſſet (nam haud vulgariter a nabatur à Cæſare, quod omnibus conſtat, & compertum eſt) tamen Cæſar poſteà dixit: Caueas hanc ignominiam mihi & poſteris meis inurere, qui mihi iraſcentur, & alij exerta lingua me ſub ſannabunt. Ceſſauit deinde Stabius à tali tantaque adulatione.

Cap. præcedenti Hieronymus Gebuilerus.

Porrò huiusmodi jam conſopitum figmentum rurſus in lucem reuocauit, vt ſupra dictum eſt Hieronymus Gebuillerus tempore Ferdinandi Regis, & Caroli Imperatoris: quem cùm idem Cuſpinianus de alieno, ſurreptitióque partu ſugillaſſet, tali inſignit cauterio:

Cenſura Cuſpiniani de Gebuilleri opinione. Vbi ſupra.

Quod ſi Carolus (inquit,) Cæſar & Rex Ferdinandus tantas aſſentationes (quibus ineſcantur Principes ab adulatoribus, qui frontem perfricuerunt coruis peiores) inaudierint, credo equidem (vt ſunt candidi Principes) nollent ſeduci, ac tales audire nugas, quas etiam mediocriter docti ſub ſannant & derident. *Ita Cuſpinianus.*

Cenſura Ioannis Stumphij de Gebuillero. In Chronico Heluetiorum.

Sed accipe quidnam de eodem ſenſerit Stumphius, dum hoc eiusdem figmētum explodit. Ait enim hunc ferè in modum: Miror hominem in huiusmodi mero figmento contexendo non doctorum & antiquitatis peritorum virorum judicium & cenſuram reueritum eſſe. Cogitandum enim illi fuiſſet Caroli Quinti Imperatoris progenitores proculdubiò etiam eruditos homines & hiſtoriographos penès ſe habuiſſe, qui eorum Genealogiam ea qua potuerunt induſtria perueſtigarunt: qui tamen omnes ad nobiliſſimam Romanæ Vrbis ſtirpem generis eorum originem retulēre. *Hæc & plura alia Stumphius, qui candidè fatetur ante Stabium omnium Hiſtoricorum, qui de Habsburgiorum Auſtriorum familia ad fidem ſcripſère vnam explicatámque fuiſſe ſententiam, Habsburgenſium Principum gentem à Romanis oriundam eſſe.*

Cenſura Belforeſtij de Lazij opinione.

Gebuillerum ordine ſequitur Wolffgangus Lazius, de cuius opinione déque fictitio eius Sigeberto quale judicium ferat Belforeſtius, audiamus. Sic enim in magnis annalibus Franciæ in latinum verſus loquitur: Tali morte miſerabilis Rex

Auſtra-

Auſtraſiæ Theodebertus, eiuſque filij vitam ſuam finiuerunt. Et quoniam Sigebertũ mortem euaſiſſe dixi, inferatur neceſſe eſt Theodebertum quatuor filios habuiſſe, videlicet Sigebertum, Guntramnum, Clotharium & Merouenm, quorum tres Brunichildis juſſu necati fuerunt; quartum autem excogitauerunt ij, qui ſuapte opinione Principum Regalium Auſtriæ originem ſunt commenti, qua de re citabo Wolfgangum Lazium, qui mentionem faciens Ducum Auſtraſiæ ſub Rege Clothario huius nominis II. lib. 10. Comment. Auſtriac. loquitur in hunc ſenſum. *Recitatis autem ipſius Lazij verbis hæc ſubjungit Belforeſtius.* En tibi quam opinionem de hoc Principe & ipſius familia Lazius habet. Quamuis veteres omnes Hiſtoriographi vnanimi conſenſu teneant Theodeberti filios omnes occiſos fuiſſe, ne quis ſuper eſſet, qui mortem Patris vlciſſi poſſet. Quamobrem Lazius & alij recenciores, multis in ſuſpicionem venient quòd ea perſuadere voluerint, quæ antiquorum auctoritatibus tueri ac probare nequirent, cùm in antiquorum ſcriptis nihil contineatur de hoc Sigeberto, neque legatur in Franconiam confugiſſe. Tamen ne videar omninò reſpuere quòd ipſi ſcribunt, atq; quod ſanguinis Auſtriaci antiquitatem Merouingorum ſtirpe aſtruunt, Genealogiæ ſeriem, pro vt ab ipſis introducitur, adſcribam: ita tamen vt te præmoneam ea quæ ab ipſis hac de re ſcribuntur, non eſſe ſolida ac probatæ fidei: tum quòd & ipſi qui ea conſcripſerunt, quis nam fuerit ille Sigebertus Dux declarare non audeant, tum quòd non deſint, qui dicant Meroueum, quem à Brunichilde interfectum diximus, hunc fuiſſe qui ab occiſione ſubductus eſt, & poſteà Auſtriacæ familiæ principium dedit. *Hactenus de Lazio Belforeſtius.*

Belfor. in magn. annal. Franciæ lib. 1. cap. 19.

Quanta verò diligentia & ſtudio Lazius verſatus ſit in perueſtigandis & texendis familiarum Genealogijs, doctiſſimus Joannes Piſtorius Nidanus ſic deſcribit. Nam Lazij, *inquit,* indiligentis & in his rebus planè jejuni & inconſiderati ſcriptoris auctoritas, quæ ad pingendam ineptam certè ſententiam obducitur, pondus omninò nullum habet, qui vix vnam Germanicam familiam ſine vitio tradidit; qui in iſto argumento & in vniuerſa illa tractatione nullo cum ſtudio verſari laborem ſuum & nulla cum cura voluit.

Cenſura Ioannis Piſtorij de Lazio.

In Epiſtola præfixa familiæ Marchionum Thuringiæ.

Sed & juſtam audi de eodem querelam Arnoldi Wion Belgæ Duacenſis, qui inter cæteros eiusdem næuos, quibus commentarij ipſius pleni ſunt, hæc commemorat. Ex his, *inquit,* Lector videt, quo ſtudio Lazius verſetur in celebranda Illuſtriſſima ac Nobiliſſima familia Habsburgica, eo nimirùm vt tu dubites, utrum de Habsburgijs, an de Germanis ſuis peius mereatur. Habsburgios enim proceres ab impuriſſimo ſpurio Theodeberto, eiúsque filio Sigeberto exule propagat, & legitimis ipſos natalibus priuans, etiam patriam ſuam gloria & virtutis elogio ſpoliat. Auctoribus ſuis interim, quorũ teſtimonia falſa oſtentat, vim ac fraudẽ facit. Aimonium namq; trãsuerſum abripit, cui ſi acquieſceret, Habsburgios Comites natalium legitimorum gloria nõ priuaret. Gregorium Turonẽſem obtorto collo trahit, apud quem cùm Sigebertus nul-

Cenſura Arnoldi Wion de Lazio.

In opuſculo de Anicia Auſtria familia §. 4.

lus

lus Theodeberti filius exſtet, confidentiſſimè immò & falſiſſimè dicit de Sigeberto illo exule ipſum loqui: *Hæc Wion de ſiniſtra Lazij fide in deriuando ſanguine Gallicano ad Habsburgiam gentem.*

Céſura Ponti Heuteri Delphij de Lazio.

His adde Pontum Heuterum Delphium, qui etſi in deſcribenda Auſtriacorum Principum origine ac ſucceſſione Lazium ſibi ſequendum ſtatuit, donec certiorem nactus fuerit Ducem; in Genealogijs tamen Belgicis, Francicis, ac plæriſque Germanicis, ait eundem adeò fuiſſe inconſtantem ac inconſideratum, vt ſubinde falſa pro veris, confuſa pro diſtinctis, incerta pro certis attulerit, plurimiſque in locis ſeipſum non intellexiſſe deprehendatur.

Cenſura Arnoldi Wion de Spigelio. *Eodem quo ſupra §.*

Cæterùm ne omninò transmiſſum ſilentio Spigelium, contemptui ac ludibrio habuiſſe videamur, proferamus de eo quóque judicium & cenſuram Arnoldi Wion, dignum profectò patella operculum. Hæc enim de ipſo habet. Iacobus *inquit:* Spigelius, qui ſolus ſapere videri volens, omnium inſipientiſſimè ſcripſit, qui ſi diligentior nõ eſt in aſſerenda nobilitate Germanica, quàm in Habsburgica familia comprobanda, non eſt cur multi auctoritatem eius faciamus. Quæ adeò friuola eſt, & jejuna, vt omninò indignam cenſeamus, cui à quoquam reſpondeatur. Vir enim hiſtoriarum & familiarum ignarus cùm eſſet, vt hæc eius familiæ ſuæ conſarcinatio probat, non potuit hiſtorijs ac Genealogijs conſona ſcribere; ſed prout affectus eius ferebatur, nullo temporum aut perſonarum habito delectu, vt inſipienter ſcripſit, ſic etiam ſtolidè nobilitatem omnem Italicam àuita antiqua nobilitate priuatam ad ſuos Germanos transferre conatus eſt. *At hæc pro Spigelio ſatis.*

Auctoris céſura de aduerſariæ opinionis ſectatoribus

Vbi ſuprà.

Explicatis igitur grauiſſimorum virorum ſententijs, quas in Auctores aduerſariæ opinionis tulêre, liceat mihi etiam meo arbitratu loqui, & quid de ijsdem ſentiam liberiùs aperire. Cùm ea opinio, quæ Habsburgenſes Principes à Romanis oriundos tradit, ſola ſemper, vt ingenuè profitetur Stumphius, à tempore Rudolphi Primi, vſque ad D. Maximiliani Primi ætatem, omnium hiſtoricorum, qui ea de re ſcripsêre, ſuffragijs ſit celebrata calculiſque confirmata, nullo modo leuiuſculæ illæ rationes, quas primo capite recenſuimus, apud prædictos auctores tantum momentum ac pondus obtinuiſſent, vt in animum inducere debuerint ſuum contra omnem antiquitatis fidem nouam eorũdem Principum comminiſci Genealogiam, ſi

perfectam conſummatámque eius Romanæ familiæ, ex qua Habsburgij Auſtrij propagati ſunt, nempè ſtirpis Perleoniæ cognitionem habuiſſent. Itaque cùm animo ſtaret fixum aucupari ſuorum Principum gratiam, eorúmque ſtemmata longo ordine recenſere, pictóſque, vt Poëta ait, oſtendere vultus: quia hoc per Perleoniam familiam commodè præſtare non poterant, cùm propter ignorationem antiquitatis & prærogatiuarum illius familiæ, tum propter indiligentiam (quâ maximè notatus eſt Lazius à Belforeſtio & Nidano) in rebus quæ ad decus & honorem patriæ ſuæ ſpectabant, indagandis: viam ſibi per fas & nefas in Genealogiam Regum Galliæ à Gallicis ſcriptoribus jam contextam aperuerunt, vt ſine magno labore & ſtudio auita Regum inſignia regaléſque faſces, quibus progenitores Perleonum caruiſſe exiſtimabant, in gentem Habsburgiam Auſtriam derivarent. Quanquam diffiteri non poſſum Volaterranum ac alios magnam ijsdem errandi occaſionem præbuiſſe, dum Alberti Sapientis patrem eum ipſum fuiſſe ſcribunt, qui patriâ exul primus ex ea ſtirpe in Heluetiæ oris conſedit, caſtrúmque Habsburg condidit: quæ vtraque quàm ſint à veritate aliena, infrà luce meridiana clarius apparebit.

Locus ſupracitatus.

Volaterranus auctoribus prędictis errandi occaſionem præbuit.

CAPVT III.

Non rectè Habsburgios Auſtrios à Pharamundo & Sigeberto deriuari.

CVm plerique ſuperioris opinionis auctores Genealogiæ ſuæ ſeriem, qua Habsburgios Auſtrios ex Francorum Regum ſanguine deducũt, à Pharamundo ordiantur: non abs re fore duxi, antequam ad poſita ſuperiùs eorundem fundamenta convellenda accedamus, paucis oſtendere, nõ potuiſſe eos, ob Pharamundiacæ lineæ defectum, Habsburgiam gentem à Pharamundo recto tramite deriuare. Conſentiunt enim omnes penè Galliæ Hiſtoriographi, Clodioni Capillato, qui filius Pharamundi fuerat, nullos fuiſſe hæredes, ſed Meroveum affinem ei in regno ſucceſſiſſe. Quod, vt innumeros alios omittam, non ſolùm egregiè teſtatum fecit Franciſcus Belforeſtius Nobilis Comingenſis Regiúsque Hiſtoriographus; ſed etiam totam illam Genealogiæ ſeriem à Lazio ac alijs confictam tanquam à veritate multùm abhorrentem, nullíſque veterum hiſtoricorum auctoritatibus ſuffultam omninò exploſit: cuius verba latinitate donata hoc ſenſu proferuntur.

Caput 1.

Clodioni Capillato fuêre nulli liberi maſculi. Franciſcus Belforeſtius.

In primo magnorum Annalium volumine lib. 1. cap. 2. 4. & 29.

Anno igitur gratiæ quadringenteſimo quadrageſimo octauo, Meroveus factus eſt tutor & rector cùm liberorum, tum etiam terrarum & ſubditorum Clodionis: & ideò recipiendus non eſt Lazius in ſuis migrationibus, qui Meroveum Clodionis filium facit, aut ſaltem ex vxore eius egreſſum, ex commixtione neſcio cuius Belluæ marinæ, ſpeciem bouis referigurantis: ita quòd à maculis ipſius belluæ, quibus reſperſus inventus eſt in ipſo ortu ſuo, Merbizus lingua patria ſit appellatus. At ſicut narratio eſt fabuloſa, ita & conſequentia eſt reijcienda, cùm nullus antiquorum huiuſmodi mendacia vnquam excogitârit: & Gregorius Turonenſis, qui ſub Merouingis vixit, Meroveum Clodionis filium fuiſſe non afferat, ſed tantùm ſanguine conjunctum: & eadem teſtatur Aimonius Monachus;

qui duo ſunt antiquiores omnium, quos habemus pro ſtabilienda Hiſtoria Gallica. *Hæc Belforeſtius, & quidem verè: nam Gregorij Turonenſis hæc ſunt verba:* Clogio autem miſſis exploratoribus ad vrbem Camaracum, perluſtrata omnia ipſe ſecutus Romanos proterit, ciuitatem adprehendit: in qua paucum tempus reſidens vſque Suminam fluvium occupavit. De huius ſtirpe quidam Meroveum Regem fuiſſe aſſerunt, cuius fuit filius Childericus. *Apud Aimonium verò Monachum hæc de eodem Meroveo leguntur:* Poſthæc Clodione Rege vita decedente, Meroveus eius affinis Regni Francorum gubernaculum ſuſcepit. *Quorum etiam ſententiæ ſubſcribit Berardus de Gerardo nobilis Burdegalenſis in elogijs Regum Franciæ, qui cum de Meroveo agit, hoc eum encomio adornat:*

Annal. Francorum lib. 2. cap. 9.

Annal. Francorum lib. 1. cap. 6.

Hunnos & Gothos vicit Meroværus & orbem
Liberat exitio, haud Clodionis filius, illo
Non minor, at ſimili dignus patre, magnus vterque.

Berardus de Gerardo.

Conſtat igitur horum auctorum teſtimoniis Meroveum non fuiſſe filium Clodionis, ac propterea à Pharamundo ad eum non fieri gradum in rectâ Genealogiæ linea.

Quis autem verus Merovei pater fuerit, auctor appendicis ad Lambertum Schafnaburgenſem indicat; qui tradit eum Meruvigum nuncupatum Regem Thuringorum fuiſſe; & ne ipſum de alio quàm de Meroveo, de quò nobis ſermo eſt, loqui exiſtimes, eundem Dagoberti Regis tritavum fuiſſe affirmat: Ait enim: Anno DCXXXVII. Dagobertus Rex Chriſtianiſſimus conſtruxit Monaſterium in Erffort, in monte quem antiquitùs vocant Meruvisburg, à Merbizo *(ſic Meroveum patria lingua nominat)* pagano Rege Francorum, qui filius fuit Meruvigi Principis de Thuringia, & tritavus eiusdem Dagoberti Regis, deletoque paganico nomine, eiusdem vrbis vel montis S. Petri nomen nuncupavit; ibique Monaſticam vitam, ſicut jam pari modo in Felſenburg fecerat, inſtituit.

Quis fuerit Pater Merovei.
Circa finem.
Meruvigus Rex Thuringorum.

Hunc autem Meruvigum cognatione junctum fuiſſe Clodioni Francorum Regi, quidam anonymus auctor refert; qui res à Landgravijs Thuringiæ geſtas ſtylo hiſtorico eſt proſecutus; cuius verba citat Arnoldus Wion, hunc in modum: Anno Dominicæ Incarnationis quadringenteſimo viceſimo ſexto, regnante Theodoſio Imperatore, Romani nimiùm cœperunt defluere & in poteſtate deficere, & Franci cœperunt creſcere. Quapropter Franci ipſos officiatos Romanorum vndique Francia, ſcilicet à Rheno vſque ad mare Occidentale, expulerunt, etiam aliquos occiderunt, & ſibi iteratò inter ſe

Meruvigus cognat. Clodionis Francorum Regis.
Cap. 4.
In opuſc. §. 3.

Regem creaverunt. Qui in brevi tempore omnes Provincias Galliæ à mari vſque ad mare ſuo ſubjugavit imperio. Hoc audientes Thuringi ab altera parte Rheni habitantes ad Orientem, de conſilio Regis Francorum, Meruvigum cognatum Regis Francorum in Regem ſibi elegerunt, qui caſtrum conſtruxit in monte, vbi nunc eſt Monaſterium S. Petri in Erfordia, & caſtrum propè Erfordiam, vbi nunc eſt Eccleſia S. Dioniſij, quod vulgares nominant Meruversburg. Poſt Meruvigum regnavit in Thuringia Baſſinus, cuius vxorem duxit poſteà Hildericus Rex Franciæ: *Ita ille.*

Ex his igitur manifeſtum eſt & teſtatum, prædictos auctores non potuiſſe in recta Genealogiæ linea gradus à Pharamundo ad Meroveum deducere: ſiquidem hic non illius nepos, ſed duntaxat ex latere cognatus fuit; cuius cognationis intuitu Clodioni filio Pharamundi, cùm is legitimo hærede careret, in regno Francorum ſucceſſit.

Verùm quoniam jam ſemel in Meroveo cõtextam ab adverſarijs Genealogiæ ſeriem interciſam oſtendimus: eandem quoque altero atque etiam majori intervallo in fictitio illo ſeu ſpurio Sigeberto mutilam hiulcámque demonſtremus. Agedum ergo Lazi, ediſſere nobis, cuiusnam filius fuit iſte tuus Sigebertus? Theodeberti inquies.

Expoſtulatio auctoris cum Lazio de fictitio Sigeberto.

In Epiſtola dedicatoria.

At hic, vt ipſe fateris, tres tantùm liberos maſculos habuit, & vnam, vt ais, ſpecioſiſſimam filiam. Et quidem Clotharium & Guntramnum vnà cum ſorore vinculis conſtrictos Metim miſſos eſſe, ibíque ab avia Brunichilde crudeliſſimè necatos perhibes: Meroveum verò parvulum in ipſo prœlio ad Tolbiacum, in quo pater captus eſt, juſſu Theodorici apprehenſum, & ad petram alliſum ſcribis. Vbi ergo Sigebertus? nam ſi idem is fuit qui Meroveus, aut Clotharius, aut Guntramnus, jam ex tua ipſiusmet confeſſione conſtat, Sigebertum Theodorici & Brunichildis manus non evaſiſſe: ſi verò diverſus fuit, fatearis neceſſe eſt, Theodobertum quatuor filios habuiſſe. Cùm igitur alij omnes, præſertim Galliæ Hiſtoriographi, tres duntaxat filios habuiſſe Theodebertum tradant; vnde tibi quartus ſurrepit Sigebertus? & quibus auctoribus hunc à mortis diſcrimine exemptum & ſervatum aſſeris? cùm antiquiores annales conſignatum habeant, vniuerſam Theodeberti ſtir-

pem radicitùs exciſam fuiſſe, ne quis ſupereſſet, qui patris mortem vlciſceretur?

Gregorium, inquis, Turonenſem & Aimonium Monachum vetuſtiſſimos Francorum Chronographos harum rerum habeo auctores. Magnæ ſanè auctoritatis & integræ fidei ſunt hi teſtes quos profers: ſed de quo in libro, quo in capite hæc ab ipſis ſcribuntur? Nimiùm vrgeo hominem, ſudor erumpit, expalluit, obmuteſcit. At vide Lazi, an non jure hoc à te percunctor? nam Belforeſtius & Roſierius, vt Gallicanam conſcriberent hiſtoriam, diligentiſſimè omnia antiquitatis monumenta ſunt perſcrutati, ſummóque ſtudio Turonenſem & Aimonium evoluerunt: & tamen ingenuè fatentur ſe nihil in ijs reperiſſe, quod ad tuam opinionem ſtabiliendam quippiam ponderis videatur afferre. Arnoldus etiam Wion non ſolùm Gregorium & Aimonium, ſed etiam auctorem appendicis ad Gregorium, maxima diligentia perlegit; nec tamen quidpiam eorum, quæ tu horum auctoritate aſtruis, potuit invenire. Reſponſio Lazij. Refellitur Lazius. Belforeſtius. Roſierius. Arnoldus Wion.

Denique Card. Cæſar Baronius, qui totos triginta annos in euoluendis & perluſtrandis veterum Scriptorum voluminibus conſumpſit, antequàm annales ſuos Eccleſiaſticos in publicum ederet; quíque accuratiſſimè non ſolùm ex Aimonio, ſed etiam ex Iona Monacho, qui vitam S. Columbani conſcripſit, aliiſq; compluribus vtriúſque cædem, nempe Theodeberti & Theodorici, proſequitur; non ſolùm nullius Sigeberti qui neci ſubtractus ſit, facit mentionem; verùm etiam vnà cum alijs Hiſtoricis tradit, Brunechildem ſævijſſe in filios Theodeberti, eos omnes neci tradentem. Nimirùm S. Columbani vaticinium erat implendum; qui ſicut apertè prædixit DEVM *Theodorici ſtirpem funditùs eradicaturum: ita etiam non obſcurè ſignificavit Theodeberti progeniem omninò delendam eſſe, vt Chlotharius trium regnorum Monarchia ſolus potiretur.* Card. Cæſar Baronius. *Annal Eccleſiaſticorum, Tom. 8* *Ionas in vita S. Columbani cap 21. 23. 28.*

At quid cum tam aperto ac impudenti mendacio diutiùs digladiamur? denudemus tandem fundamentum eius

vſque ad collum, capútque ei à cervicibus amputemus. Quo enim pacto potuit aut de Theodeberti cæde, aut de Sigeberti exilio quicquam ſcripſiſſe Gregorius Turonenſis, qui jam ante annos ferè octodecim, nempè circa annum DOMINI *595.* *è vita exceſſerat? cùm Theodebertus à fratre captus & juſſu Brunechildis cæſus eſt, quæ cædes juxta Baronij ſententiam incidit in annum* CHRISTI *613.*

Vidésne igitur, amice Lector, quo ſtudio & qua fide Lazius, cæteríque eius ſectæ comites ſint verſati in celebranda nobiliſſima familia Habsburgia? vt nimirùm controverſum ſit, laudaréne eam inſtituerint, an potiùs vituperare. Quæ enim hæc laus à generis nobilitate, eos gentis Habsburgiæ progenitores, per quos maximè regium Francorum ſanguinem in eam derivare volunt, aut fabuloſos, aut ſpurios fingere? nam diſertis verbis Lazius Theodebertum illegitimo procreatum thoro aſſerit, quod tamen falſum eſſe Belforeſtius annotavit; neque verò melioris notæ fuiſſe Sigebertum exulem, ſi tamen vnquam fuit, ex dictis eſt manifeſtum.

In Epiſtola dedicatoria. In magnis Annalibus Franciæ lib. 1. cap. 28. & 29.

Valeat ergo Lazius cum ſuo fictitio Sigeberto, laudatiſſimámque Domum Auſtriam hac ſua ſordida laude laudare deſiſtat, quæ etſi vera & non ficta eſſet, potiùs tamen reticenda quàm commemoranda foret.

CAPVT IV.

Diſſolutio fundamentorum adverſariæ opinionis.

ITaque ſemel jam & iterum interrupta continuatione & ſerie eius Genealogiæ, quam adverſarij cōcinnârunt, reliquum eſt vt videamus etiam, an machinæ eorundem ac fulcimenta, quibus compaginatam Pharamundicam ſuam arborem fulcire & ſuſtentare conati ſunt, ſubſiſtant.

Ac primùm quidem illud, quo Habsburgios ab Auendo caſtro in Voſagis montibus ſito deriuari volunt, nullius planè eſt roboris & firmitatis. Nam etiamſi Auendum caſtrum à quibusdam fortè Habsburgum nuncupatum reperiatur; certum tamen eſt, Comites veteris caſtri ſiue Altenburgicos qui ad Vindoniſſam imperitârunt, Habsburgico titulo non eſſe vſos, ante Rapatonem Guntramni Comitis Altenburgici nepotem, qui Habsburgum arcem in Ergovia condidiſſe vulgò putatur; à quo etiam Habsburgo Habsburgenſes Comites cognominatos Magiſter Albertus Argentinenſis, qui proximus Rudolphi Primi temporibus vixit, diſertis verbis tradit. Quanquam, etiamſi demus adverſarijs, Habsburgici tituli originem ab Auendo caſtro arceſſendam eſſe: nihil tamen hoc negotij nobis faceſſet, qui infrà demonſtrabimus Habsburgios Auſtrios nullo modo genus ab antiquis illis Habsburgicis, niſi fortè maternum, duxiſſe.

Diſſolutio primi adverſariorum argumenti.

M. Albertus Argentinenſis, circa initium.

Sed quale hac tota de re judicium ferat Franciſcus Roſierius vir Gallus, & in hac controverſia arbiter incorruptus, in medium proferamus. Ait enim: Nec certè hic ſubticere poſſum & Auſtriæ & Belgarum Hiſtoricos longè hallucinatos eſſe, cùm Habs

Franciſcus Roſierius.

Tom. 5. Stemmatum Ducum Lotharingiæ Hiſtoria capitali 79.

burgenſium Comitum primariam referunt originem ad nonnullos Auſtraſiæ Reges, illosque prædicant Auendi caſtrum in Voſagis montibus occupaſſe, haud procul à Moſellæ fluminis continenti, qui locus hodie Romarici mons vocatur. Etenim multi aſſentationis potiùs, quàm veritatis imagine ducti, ex Theodeberti Auſtraſiæ Regis conjugio Sigebertum ſeu Sigisbertum manaſſe ſcribunt, atque ex hoc cæteros Auſtriæ Duces: immò Theodebertum & Sigebertum Auendi caſtrum in bonis habuiſſe. Quantum ad primum attinet, certum eſt ex Annalibus Theodebertum Auſtraſiæ Regem, Brunechildis conſilio Theodorici fratris manu nefaria perijſſe juxta Leucos, tandemque ipſum Theodoricum victorem Theodeberti liberos extinxiſſe, quamvis plærique Sigebertum euaſiſſe ſcribant. Quod an verum ſit, alij judicent. Quod ſi etiam veritate ſubnitatur, hoc vnum tamen falſum eſt, Theodebertum eiusque filium Sigebertum Auendi caſtrum & Comitatum obtinuiſſe. Nam ex hiſtorijs claret, Theodoricum præmiſſum, Theodeberto liberisque occiſis rectà Metim profectum fuiſſe, ibique Romulphum Romarici Auendi Comitis patrem interfeciſſe, bonaque fiſco applicuiſſe. Non igitur Theodebertus & Sigebertus jam interempti Auendi Comites extitêre. Quinimmò Theodorico cæſo, Aridij Epiſcopi tum cura, tum etiam gliſcente morbo Brunechildis, Romarico iniquè bona rapta reſtituit. Vno igitur, eodemque tempore non fuerunt Auendi Comites, Theodebertus, Sigebertus, Theodoricus, Romulphus & Romaricus, ſiquidem erant coætanei, vt ex datis Auſtraſiæ Regum ſuperiùs deſcriptorum, ac ſequenti diplomate videre eſt, cuius tenorem ſubijcio.

In nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.

Diploma Romarici Auendi Comitis.

Quoniam mundus in maligno poſitus, legitimas fidelium donationes impiè conatur infringere, idcircò ratio poſtulat, vt ea quæ pro augmento Eccleſiarum donata ſunt, nos quoque rationabiliter confirmare curemus. Noverit igitur omnium Catholicorum tàm præſentium, quàm futurorum vniuerſitas: Quòd ego Romaricus Auendi Comes, videns viros virtutis voluntaria paupertate, pauperis IESV ſtigmata in ſuis corporibus circumferre. *Et cætera quæ ſequuntur ibidem: & infrà.* Factum eſt hoc donum iiij Non. Martij, Anno ab Incarnatione DOMINI 620. Clothario glorioſo Francorum Rege regnante.

Hæc Roſierius, ex quibus non ſolùm refelluntur ij, qui Theodebertum & Sigebertum Auendi Comites eſſe dixerunt: ſed etiam inſignis mendacij arguitur Lazius, qui tradit Othertum fictitij illius Sigeberti filium primum Auendi caſtri conditorem extitiſſe. Cautiùs ſanè Gebuillerus, & qui in eius penè verba juravit Eizingerus, Otbertum non Auendum caſtrum extruxiſſe, ſed eius Comitatûs titulo primum vſum eſſe ſcribunt; quod cognomen, vt ipſi inquiunt, Germani ſua lingua interpretati, primò Auenſpurg, poſteà verò literarum immu-

Lazius de gentiũ migrationib. l. 3. vbi agit de Ducib. Francorum. & l 7. vbi agit de genealogia Landgraviorũ Alſatiæ. Gebuillerus de Genealogia Ferdinandi Regis, lib. 2. cap. 11.

tatione

tatione Habsburg protulerunt. Verùm jam ante Otbertum, & Romulphum & Romaricum Auendi Comitatûs titulum vſurpaſſe, ex Roſierio modò audiuimus.

Quanquam ſi vero conſentaneum eſt, quod aſſeverat Lazius, Auendi nempè Comites eoſdem fuiſſe, qui ab alio quoque caſtro ſuo Comites ab Egeshaim ſunt cognominati; eius démque ſtirpis fuiſſe Leonem IX. Pontificem Romanum: planè aduerſarij in magno verbi adulterio deprehenduntur. Nam Comites illos ab Egeshaim non Habsburgenſes, ſed Dagsburgenſes dictos eſſe, cùm alij, tùm ipſe Lazius imprudens docet. Leonem etiam Nonum omnes quotquot vidi, qui generis eius & natalium mentionem faciunt, ex Dagsburgenſibus Comitibus natum teſtantur. Et quidē Onuphrij Panuinij hæc ſunt verba: Leo Papa IX. Bruno antea vocatus, natione Germanus, Provincia Alſatia, patrem habuit Hugonem virum nobiliſſimum, ex Regio Comitum Dagsburgi, aliàs Egeshaim genere ortum. *Eodem modo Card. Cæſar Baronius:* Poſt menſes quinque, *inquit,* vacationis Sedis ab obitu Damaſi Papæ, Bruno ex Comite Dagsburgenſi, & Epiſcopo Tullenſi in Leucis, maximo bono totius Eccleſiæ Catholicæ creatur Pontifex, dictuſque eſt Leo Nonus. *Sed & ipſe Lazius neſcio quo modo immemor inſtituti ſui, dum alibi incidit in mentionem huius Leonis Noni, antequàm eius opera eguiſſet ad infarciendam commentitiam Habsburgenſium Genealogiam; libero & ipſo veritatis ore profitetur, eundem non ex Habsburgenſium, qui titulus tunc necdum exſtabat, ſed ex Dagsburgenſium proſapia oriundum fuiſſe. Dum enim agit de Nordmannis Calabriam devaſtantibus quos Conradus Saliquus Imperator decretis ſtipendijs ab vltimis Galliæ finibus exciuerat, hæc de ijsdē ſubjungit:* Itaque præſidiales milites adſuefacti agri fœcunditate, adſciſcentes multa ex Gallia Nordmannia gentilium millia, vtrique Imperatori non ſolùm terrori deinceps fuerunt: verùm etiam contempto imperio domini, qui conduxerat eos, proxima quæque in Apulia loca juris ſui fecère: donec Leo Nonus Papa, homo Germanus, ex Comitibus à Dagsberg oriundus, animadverſa quæ inde emenſura aliquando eſſet pernicies, fulmine tactos, bello eos inſuper adgreſſus eſt.

Ita quidem Lazius, & verè de progenie Leonis olim: ſed dum ad texendam Habsburgenſium Genealgiam ventum eſt, arderétque cupidine regium Francorum ſanguinem in eam de-

De gentium migrationibus lib. 8 in Genealogia Landgraviorum Alſatiæ.

Ibidem & in Genealog. Ducum Zaringiæ.

Lazius ibidem lib. 3.

Onuphrius Panuinius de Romanis Pontificibus in Leone IX.

Card. Cæſar Baronius Annal. Eccleſ Tom. xi. Anno Chriſti 1049. num. 1.

De gentium migrationibus lib. 3. in Genealogia Ducum Nordmanniæ.

Vbi ſuprà lib. 8. in Geneal Landgrav. Alſatiæ.

riuare, adulterato verbo Dagsburg, illud cõmutauit in Habsburg, Leonemq́; Hunnifridi filium fecit, cujus tamen patrem Hugonem nominatum fuiſſe Panuinius & alij tradunt. At hæc de primo adverſariorum fundamento ſatis.

Vbi ſuprà.

Diſſolutio alterius argumenti.

Alterum verò eorundem fundamentum, etſi ex vna parte ſolidum ſit: nullo tamen modo validũ ac aptum eſt, ad reliquam quæ illi innititur ſtructuram ſuſtentandã. Nam licet verum ſit cõplura antiquitatis monumẽta reperiri, è quib' perſpicuè argui poſſit, Comitum Habsburgienſium memoriam in Heluetiæ oris antiquiorẽ eſſe, quã vt poſſint à ſtirpe Perleonia deriuari: non tamẽ inde neceſſariò cõſequitur, poſteriores Habsburgienſes Comites, quos vt infrà referemus, grauiſſimi vetuſtiſſimiq́; auctores à Perleonibus Romanis oriundos tradunt, ab ijsdem in recta & paterna linea propagatos eſſe: quamvis eandẽ cum veteribus ab eodem caſtro Habsburg denominationem ac titulum vſurpaſſe reperiantur. Quemadmodum enim non rectè colligeret quiſpiam, Habsburgios Auſtrios ex eadẽ planè proſapia oriundos eſſe, ex quia priſci Auſtriæ, Styriæ & Carinthiæ Duces prodière, quoniam ijsdem titulis ac inſignibus, quibus illi olim, hi etiam nunc vtuntur: ita etiam perperàm concluditur, Habsburgios poſteriores, eò quòd in nomen ac poſſeſſiones veterum Habsburgienſium Comitum ſucceſſerint, eorundem ſtirpis propria germina eſſe; præſertim cùm certorũ teſtificatione auctorũ ſit compertũ, hos ab illis genere planè diuerſos fuiſſe. Nam ſucceſſio in nomen ac bona alterius non ſolùm hæreditate, quæ tamen multis etiam nominibus obvenire ſolet; ſed & emptione, donatione, jure belli, alijsq́; modis acquiri poteſt, quorũ plurima obviaq́; paſſim ſunt exempla, vt ſupervacaneum ſit diutiùs in his immorari.

Quare non poſſum ſatis mirari, Franciſcum Guillemannum, hominem aliàs doctiſſimum, in hoc tam levi ac infirmo argumento adeò exultare, ac triumphare: quod niſi ad hominem (vt dicitur) referatur, nempè ad eos Scriptores, qui Perleones primos Habsburgici caſtri ac tituli auctores prodiderunt, nihil eo futilius eſſe poteſt.

Porrò

Porrò hoc eorundem fundamentum ex vna duntaxat parte ſolidum eſſe dixi; quia etſi in Murenſi Cœnobio aliqua veterum Habsburgenſium Comitum veſtigia reperiri contingat; nulla tamen in illo Ciſtertienſis inſtituti, ad quod Gebuillerus prouocat, extare poſſunt, quod quidem etiam animaduertit Stumphius & Guillemannus. Cùm enim dictum Monaſterium primò exſtrui ac fundari cœptum ſit, anno Virginei partus ſuprà mille ducentos ſeptimo & viceſimo, ab Henrico Comite ab Rapperſvvil, & cõjuge eius Anna Comitiſſa ab Homberg, vt non ſolùm Annales Heluetici, ſed & tabulæ Ordinis noſtri teſtantur; quo tempore jam Comitem Provincialem Alſatiæ ſuperioris agebat Albertus Sapiens, eiq; jam ante octennium natus erat filius Rudolphus poſtmodũ primus huius nominis Romanorum Imperator: manifeſtũ eſt veteres Habsburgios Comites, qui ante Albertum Divitem cognominatum vixêre, quique ab Altenburgicis oriundi fuerunt, non potuiſſe vllum in dictum Monaſterium donum conferre, aut ſua ibidem Mauſolêa condidiſſe. Nam etiamſi Wernerus ille, cuius ſepulchrum in medio ædis ſacræ cerni ait Gebuillerus, infans vnius diei fuiſſet, cùm pater eius Ottho in arce ſua Buttenhaim manu nefaria interemptus eſt; quæ cædes, vt annales Heluetici conſignatum habent, incidit in annum CHRISTI *centeſimum decimum ſuprà milleſimum: quomodò credibile eſt eum vſq; poſt conſtructionẽ prędicti Cœnobij ſupervixiſſe, vt potuerit ibidẽ locũ ſepulchro deſignare, in quod poſt mortem inferretur?*

Monaſt. Maris Stellæ quando ſit fundatum.

Cæterùm nullo modo mihi in dubium venit, quin plurimorum Comitum ab Habsburg in eodem Monaſterio extiterint & adhuc extent antiquitatis monumenta; non tamen eorum, qui à Comitibus ab Altenburg, ſed qui à Perleonia ſtirpe deſcenderũt, qui non ſolùm illud Monaſterium in ipſorum ditione ſitum, ſed etiam vniuerſum Sacrum Ciſtertienſem Ordinem ſemper ampliſſimo benevolẽtiæ beneficentiæq; affectu ſunt cõplexi, vt ſuprà ex ipſius Rudolphi I. Auguſti epiſtolis fecimus teſtatum.

In dedicatoria epiſtola.

Sed Spigelij impudentiam irredargutam ne ſinamus; qui non ſolùm auſu plusquàm temerario alterius ſententiæ aucto-

res ſtultitiæ damnauit, ſed etiam nimis procaciter vniuerſam Italicam nationem tanquam omni avita nobilitate ſpoliatam traduxit; ac ſi ipſi omnis generis claritudo à priſcis Germanorum fontibus emendicanda foret. His enim ab Arnoldo Wion maniſeſtiſſimis exemplis refellitur: Quis, *inquit*, illuſtriſſimam quondam Guelphorum familiam, ex qua Duces Bavariæ & Saxoniæ Electores, nec non moderni Luneburgi & Brunſuigæ Duces prodierunt, in Germaniam intulit: nónne Azo eius nominis IIII. Eſtenſis & Ferrariæ Marchio, anno DOMINI circiter 1060. ex nobiliſſima Actiorum familia Romana progenitus? Quis Aſcaniam Ballenſtendeam ſecundam, vnde Marchiones Brandenburgij Electores hodierni, & Duces item Saxoniæ Electores, nec non moderni Anhaltini originem ducunt, in Germania plantavit; nónne Aribertus ex Vrſinorum Romana familia procreatus? Marchionum Hochbergiorum; vndè recentiores Badenſes, patrem, nónne & ipſi Germani agnoſcunt Hermannum Veronenſem, qui anno circiter 1156. cum Imperatore Friderico Barbaroſſa Germaniam intravit? Brandeburgij autem, qui à Zollerijs Comitibus originem ducunt, nónne & ipſi à Petro Columna Domicello Romano anno circiter 1080. ſe progenitos gloriantur? Denique multæ aliæ familiæ in Germania illuſtres referuntur, quæ ab Italiæ nobilibus familijs lineam conſanguinitatis ducunt; quod non ita evenit Germanis in Italia, ex quibus nullæ aliæ, quæ illuſtres ſint dico, prædicantur, præter Allobrogicam & Mantuanam, licet de ea quoque à nonnullis controvertatur, ſicut & de Montferratenſi, quam quidam Germani Saxonibus tribuunt, ſed ab Italis deſcendere egregiè prodit Thomas Porcacchius in Hiſtoria familiæ Maleſpinæ. *Hactenus contra Spigelium Arnoldus Wion.*

Nobiliſſimæ familiæ Germanicæ ex Italia originem habent. *In opuſculo* §. 4.

Denique vt tandem huic capiti finem imponamus: illos verſiculos de Rudolphi filiarum connubijs, quos non deſcripſit Gerardus de Roo, tandem apud Guillemannum legi, & ſic ſe habent:

Diſſolutio vltimi argumenti.

In Habsburgiacô libr. 2 cap. 5.

Rex Rudolphus & inluſtris Regina dat Anna,
Natio quod floret jam præ reliquis Alemanna.
Nam Rudolphus & Anna, quibus precor omnibus annis
Vt ſit honos, virtutusquè, trahunt genus ex Alemannis.

Verùm non arbitramur his ſine auctore verſiculis, tantum auctoritatis ac ponderis ineſſe, vt propterea ab antiqua illa de Habsburgiorum modernorum genere ſententia diſcedere cogamur, quæ ſola à tempore Rudolphi I. vſque ad Maximiliani I. ætatem viguit, omnium qui hac de re ſcripsêre hiſtoricorũ calculis roborata, præſertim cum in huiusmodi rhythmicis verſiculis cõdendis multa hyperbolica, ac præter veri rationem im-

miſce-

miſceri ſoleant, rhythmi neceſſitate vrgente: exempli causâ, vt in illo Fuldenſis Monaſterij:

Antiſtes Lullus, quo non eſt ſanctior vllus.

& in alijs ſexcentis, quorum infinitus eſt numerus. Quanquam paternum eiusdem Rudolphi genus in Germaniam transplantatum jam quartum generationis gradū, vt infra oſtendemus, attigerat: vt non immeritò Poëta ille exiſtimare potuerit, cæteros etiam eiusdem progenitores Germanos fuiſſe. Immò ſi & vxoris eiusdem Annæ, quæ germen fuit Comitum Hochbergiorum, genus paulò altiùs repetijſſet, illud non ex Alemannis (de paterno enim loquor & non materno) ſed ab Hermanno Veronenſi deductum deprehendiſſet, vt modò ex Arnoldo Wion audivimus, nec inficiatur Lazius. Scio quidem recentiorem Guillemannum contrà ſentire; ſed vtitur ſolenni illo ſuo argumento, quod vt paullò antè dictum eſt, abſolutè prolatum, parùm efficacitatis habet. Quare vt Rhythmographum illum vera ceciniſſe ſentiamus, neceſſe eſt vt fateamur, ipſum ſicut de Annæ, ita etiam de Rudolphi materno duntaxat genere locutum eſſe: ſiquidem aliundè compertum eſt, vtriusque paternum genus origine Italum fuiſſe.

In Habsburgiaco libr. 5. cap. 1.

Sed quàm lubrica fides ſit, quæ eiusmodi ſine auctore verſiculis adhiberi ſolet, ipſius Gerardi exemplo diſcamus. Ipſe enim dum agit de Lauſannenſi congreſſu Rudolphi Imperatoris cum Gregorio Decimo Pontifice Romano; relicta communi Hiſtoricorum via, qui congreſſum illum anno DOMINI *milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quinto conſignatum habent; vulgatos quoſdam verſiculos ſequitur, qui biennio antè eorundem ſummorum Principum conventum Lauſannæ celebratum tradunt, his verbis:*

Gerardus de Roo lib. 1. Hiſtor. Auſtriacæ.

Bis ſexcenti, ſeptuaginta, tresque ſtetère
Anni, Lauſannæ dum Rex & Papa fuère.

Verùm Gerardum prævijs hiſce pſeudoverſiculis longè à veritatis tramite aberraſſe, ex ipſius Rudolphi litteris inferiùs ſuo loco deſcribēdis, omninò ſit compertum. Cùm enim ex ijs conſtet Pontificem ſoluto illo conventu ſtatim Romam eo conſilio con-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMAN.

tendiſſe, vt ad proximum Paſchæ feſtum Rudolpho ſacrum Imperij diadema impertiret: quo in itinere morbo prægravatus Aretij in Thuſcia vita functus eſt; fatendum omninò eſt conventum illum Lauſannæ Anno M. CC. LXV. *celebratum; ſiquidem Gregorius diem obijt extremũ, vt teſtatur Panvinius. 4. Idus Ianuarij vertentis anni nempè,* M. CC. LXVI.

In Epitome Pontif. Romanorum.

Sed hæc παρέργως.

CAPVT V.

Habsburgios Auſtrios è Nobiliſſima Romanæ Vrbis familia oriundos.

D*Enudata igitur falſæ opinionis vanitate inſtituti noſtri ratio poſtulat, vt ipſam veritatem, cuius illa locum hactenùs occuparat, omnibus expeditam è vinculis poſtliminiò in lucem priſtinam ac regnum reducamus ſuum.*

Quæ ſit certa Genealogiæ inveſtigandæ ratio.

Sed antequàm rem tantam aggrediamur, principiò exquirendum nobis eſt, quæ ſit potiſſima Genealogiæ inveſtigandæ ratio. Cùm vita hominum mortalis à DEO *ita incertis, iiſq; valdè anguſtis limitibus ſit circumſcripta, vt nullus mortalium aut rarus reperiatur, cuius ætas vltrà quartum generationis gradum excreſcat: conſequitur à nemine memoriam atavi, abavi, vel tritavi ſui haberi poſſe, quæ non aut ex majorum traditione, aut ex aliquo antiquitatis monumento, aut ex certa Scriptorum auctoritate & fide ſit petita. Quare ea demùm Genealogiæ ſeries ſolida & cohærens erit, quæ aliquo horum trium modorum vinculo eſt connexa. Quod ſi verò hi defuerint, tum primùm conjecturis eſt locus: inter quas prin-*

cipem locum obtinent, maximámq; habent probabilitatem eæ, quę ex proprijs ipſarum familiarũ agnominibus depromuntur. Nam quæ à regnis, provincijs, caſtris, alijsq; locis impoſita ſunt familiis agnomina, cùm ea, vt ſuperiùs dictũ eſt, pro multiplici dominij illorum locorum translatione, ad plures diverſasq; ſtirpes transferri poſſint, non poteſt ex ijs ſolidum & efficax deſumi argumentum. Itaque ea duntaxat firmiſſima probatiſſimáque Genealogiæ texendæ ratio erit, quæ certa hiſtoriæ fide ſubnititur; quæ fides, vt diximus, vel in majorum traditione, vel in antiquitatis & literarum monumẽtis ſita eſt. Sicut autem fides hiſtorica plurimùm ipſa vetuſtate ſtabilitur, adeò vt ſit maxima, ſi rem ipſam quam tradit, ætate adæquet; magis verò magiſque infirma cenſeatur, quò ab illius rei memoria pluribus temporum intervallis eſt remota: ita etiam omnis de Genealogicis rebus controuerſia maximè antiquiſſimorum adſtipulatione teſtium definitur. Quis enim adeò mente captus, aut voluntate perverſus reperiatur, qui recentiori cuipiam de rebus ab eius memoria remotiſſimis ſcribenti potiùs fidem adhibendam cenſeat, quàm priſcis auctoribus, qui eadem ætate, qua gerebantur, ſuperfuêre, easdémque geri oculis ſuis conſpexêre.

Quamobrem in eam ſententiam manibus, vt aiunt, pedibusq; eo, quæ avitam Sereniſſimæ Domûs Auſtriacæ nobilitatem ab antiquiſſima ſplendidiſſimaq; Vrbis Romæ familia arceſſit. Nititur enim non ſolùm vetuſtiſſima, multisque ſæculis continuata majorum traditione, ſed etiam omnium, qui olim ea de re ſcripsêre, Hiſtoricorum ſententijs eſt approbata. Nam vt hinc ordiamur, Vlricus Krigius Nobilis Tigurinus, qui vt refert Ioannes Stumphius in majoribus Heluetiorum Annalibus, circà Annum DOMINI milleſimum ducenteſimum ſexageſimum octavum floruit, ac proindè temporibus Rudolphi Comitis ab Habsburg, antequàm is fuit ad Romani thronum Imperij evectus, eiusdem ætatis hiſtoriam ſcripſit: hic, inquam, vt idem tradit Stumphius, diſertis verbis aſſeuerat, Rudolphum Comitem necdũ Imperatorem Electum

Vera ſententia.

Vlricus Krigius Nobilis Tigurinus, Libr. 7. cap. 12.

in caſtro Habsburg propè oppidum Bruck habitaſſe, eiúsque progenitores nobili ac veteri Romanorum gente oriundos fuiſſe. Quare cùm Vlricus hic ætate æqualis fuerit Cæſari Rudolpho, nullo modo dubitari poteſt, quin hæc de origine Comitum ab Habsburg opinio eo tempore tanquam certa vulgatáque in omnium ore verſata ſit, atque absque vlla controverſia recepta ab vniuerſis. Cùm enim nullus Scriptorum ea ætate ſit reperiri, qui diuerſum ab hac opinione tradiderit, præter Rhithmographum illum, de quo jam noſtram aperuimus ſententiam; omnésque qui poſteà vixère hiſtorici eandem ſint amplexati, nulla alterius diuerſæ opinionis facta mentione: æquo congruum eſt, vt exiſtimemus, Vlrici dicti opinionem de gentis Habsburgiæ origine tunc temporis non ſolùm communem, & vulgatam, ſed etiam ſolam & abſque æmula fuiſſe.

Magiſter Albertus Argentinenſis, *In Chronico.*

In deſcriptione Auſtriæ.

Sed ab Vlrico Krigio ad Albertum Argentinenſem transeamus, qui cùm tempore Benedicti XII. Pontificis Romani vixerit, apud quem, vt ipſemet teſtatur, pro Epiſcopo Argentinenſi publica functus eſt legatione, Rudolphi temporibus proximus fuit. Hic igitur Albertus, quem diligentiſſimum annalium Scriptorem Cuſpinianus appellat, ſummáque fide res Auſtriacas complexum tradit, Chronicon ſuum ſic orditur: Rudolphus Comes ab Habsburg ex antiquis progenitoribus ab Vrbe Roma traxit originem. Olim namque duobus fratribus propter potentis Romani occiſionem eliminatis ab Vrbe, pater eorum nobilior Romanus dans cuilibet eorum immenſam pecuniam, ipſos juſſit abire in partes remotas, qui ſe in ſuperiori Alemannia receperunt. Antiquior autem ad emptionem prædiorum & munitionum, junior verò ad vaſallorum multitudinem contendebat. Patre autem eorum poſt aliquot annos filios viſitante, cùm vidiſſet ſenioris prædia ab eo empta, eius prudentiam commendavit. Requirens autem de juniore quid egiſſet, illum ſe in fortiſſimam quandam munitionem collocaſſe vidit, & juſſis omnibus vaſallis ſuis cum eorum liberis maſculis optimè armatis venire ad montem, vbi caſtrum Habsburg eſt collocatum, illùc patrem traducens, illam fortium multitudinem oſtendit, quos & omnes eorum poſteros maſculini ſexus ſuæ poſteritati fideles fore ſperaret. In illius ergo animoſa nobilitate gaviſus Pater magnum theſaurum deſtinavit eidem. Ex his itaque duobus fratribus omnes de Habsburg poſteà proceſſerunt. *Hactenùs Albertus Ar-*

gentinenſis, quem non niſi verà & comperta omnibus ſcripſiſſe, & hominis dignitas qua fungebatur, & doctrina qua pollebat, & patria in qua hæc ſcribebat, & ipſa ætas, quæ recentem adhuc Rudolphi memoriam fovebat, omninò perſuadent.

Porrò poſt Albertum Argentinenſem eandem de Habsburgiorũ origine tradidit ſententiam Vlricus de Clingenberg, qui vt ſupputat Stumphius, vixit circà annum DOMINI *milleſimum trecenteſimum octuageſimnm octavum: & Albertus Baro à Bonſtetten, qui floruit circà annum* DOMINI *octuageſimum ſextum ſuprà mille & quadringentos: qui tamen auctores duas mihi diuerſasq; hiſtorias in vnam cõfudiſſe videntur, dum juniorem natu fratrem non à patre, ſed à fratre jam in Epiſcopum Argentoratenſem electo, viſitatum ſcribunt. Hiſtoriam enim illam de Wernero Argentoratenſi Præſule, fratrem Rapotonem inviſente poſt conditum caſtrum Habsburg, cum hiſtoria Alberti Argentinenſis commiſcuerunt: quod quidem ipſis accidit, quoniam malè intellectis Alberti Agentinẽſis verbis, opinati ſunt à minore natu fratre, de quo loquitur Argentinenſis, exſtructum fuiſſe caſtrum Habsburg. Verùm id contrà mentem eſſe Alberti Argentinenſis, oſtendemus infrà ſuo loco.* Vlricus de Clingenberg. *Stumphius vbi ſuprà.*

Porrò ſimilia de gentis Habsburgiæ primordijs tradiderunt omnes penè auctores, qui poſterioribus temporibus vixerunt, quorum alios ad Fabiam, alios ad Iuliam gẽtem generis Habsburgici originem retuliſſe tradit Doctor Ioſephus Gruenpeck Mathematicus Friderici IV. *Imperat. in oratione vernacula lingua habita in funere eiusdem Auguſti: quorum equidem omnium cùm tanta & tam clara ſit auctoritas vt eisden in frontem, vt dicitur, refragari poſſit nemo, callidè adverſarij eos diſſimulârunt, totamq; controverſiam in vnum Volaterranum verterunt, ac ſi ipſe Romanæ gloriæ plus nimis auidus, auctor ac princeps huius opinionis extitiſſet, & non Germani.* *Extat M.S. in Cæſ. Biblioth. Viennæ.*

Verùm præter prædictos auctores, plures ante Volaterranum ex Scriptoribus Germanis eandem de Auſtriacæ Domûs primordijs ſententiam poſteris memoriæ tradidiſſe cũ ipſe Lazius imprudens, tum Volaterranus affirmat. Nã Lazius libro Volaterranus non fuit primus huius opinionis auctor.

Cap. I.

primo commentariorum in Auſtriacam familiam refert Wichardum Baronem de Polhaim Decanum Salisburgenſem, Ioannem Enneckel equitem Auſtriacum, & Ottocarum ab Orneck Styriæ Regulum, pro hac ſententia libros integros conſcripſiſſe. Raphael verò Volaterranus Matthæum quendam de origine primorum Ducum Auſtriæ, Otthonem Friſingenſem in commentarijs, Iordanum Oſnaburgium de irruptione Gothica in Vrbem, Hermannum de Solgovv in Chronographia, & Henricum Conſtantienſem idem ſenſiſſe ſcripſiſſeq; affirmat.

Ex quo liquidò apparet Volaterranum non huius ſententiæ primum fuiſſe auctorem, neque eam ab Italis confictam; ſed à Germanis multò antè literis conſignatam, eorúmque teſtimonijs roboratam, vſque ad tempora D. Maximiliani I. Imperatoris perduraſſe, donec Stabius, Trithemius, ac alij emerſerunt, qui ob rationes ſuprà enumeratas, novam Habsburgiorum Auſtriorum commenti ſunt Genealogiam. Quare non poſſum non ſtomachari in Gerardum de Roo, qui hanc noſtram ſententiam vulgi opinionem appellat, eámque hoc nomine ludibrio habet; cùm tamen ſacræ literæ communem populi vocem inſtar divini oraculi eſſe pronuncient: immò ſi ſemper in animis hominum hæſit hæc opinio, & vulgi in ore verſata eſt, ex hoc illa maximè confirmari ac ſtabiliri debet. Non enim res Genealogicæ adeò captu difficiles & arduæ ſunt, vt ex intimis Sapientiæ penetralibus euocari debeant, ad quæ non niſi magnis & perſpicacibus ingenijs patet acceſſus, ſed totæ, vt diximus, ex majorum traditione ac fide hiſtorica pendent, ad quam ſtabiliendam neſcio an quippiam efficacius afferri poſſit vetuſtiſſima vulgi opinione. Quanquam comparatione facta inter adverſariæ opinionis ſectarios & noſtræ ſententiæ auctores, quos modo recenſuimus, pluréſque ſequenti capite referemus; ipſi potiùs, quàm hi vulgi nomine cenſendi erunt, quippe qui noſtris nec claritate generis, nec dignitate, nec auctoritate, nec eruditione, nec fidei integritate vllo modo ſunt æquiparandi.

Refutatur Gerardus de Roo.

CAPVT

CAPVT VI.

Habsburgios Auſtrios ſtirpis Perleoniæ germen eſſe.

IGitur vera & genuina gentis Habsburgiæ origo non aliundè, quàm à Romano ſolo petenda eſt, vti jam teſtimonijs antiquiſſimorum auctorum fecimus teſtatum. Nunc reliquum eſt, vt in tanta nobiliſſimarum Vrbis Romæ familiarum multitudine & diverſitate accurratiùs diſpiciamus, ex qua potiſſimùm illarum ſtirpe Habsburgij Auſtrij ſint profecti. Qua de re non nihil controvertitur inter auctores.

Imprimis enim Albertus de Bonſteten, cuius ſuperiori capite fecimus mentionē, eorum generis originē retulit ad Scipiones: Sed cùm nullas afferat rationes aut teſtimonia, quibus opinionem ſuā ſtabiliat, nō audemus in re tam incerta certi quippiam affirmare. Si tamen conjecturæ aliquis eſt locus, fortè ad Auienos Fauſtos reſpexit; ſiquidem & ipſi Anicianæ ſtirpis germen fuiſſe videntur: quos conſtat auctoritate Ennodij affinis eorundem, inter majorū ſuorū imagines, Scipiones etiam numeraſſe. Prima opinio Alberti de Bonſteten. *Ennodius Epiſtola ad Fauſtum juniorem.*

Porrò teſte Ioſepho Gruenbeck, cuius paulò antè fecimus mentionem, non pauci etiam fuerunt auctores, quorum alij à Julia, alij à Fabia gente Habsburgios Auſtrios derivârunt: ex Iulia quidem ſtirpe, qua ratione Habsburgij Auſtrij deſcendiſſe videri poſſint, libro ſecundo demonſtrabitur; de Fabia verò gente nullum extat, quod ſciam, ne levis quidem conjecturæ indicium. Secunda opinio.

Cæterùm Ioannes Stumphius, etſi inficiari non poſſit Habsburgiorum gentem à Romanis oriundam eſſe, nimis tamen altè petita eorundem tradit primordia, adeò vt non ſolùm Tertia opinio Ioannis Stumphij. *In magnis Annal. Helvetiorum: lib. 7. cap. 12.*

veteres etiam Habsburgios, ſed & omnes Altenburgicos Comites ab vna eademque ſtirpe Romana propagatos affirmet: quorum majores ex præſidiariis militibus ad Vindoniſſam veterem Romanorum coloniam conſediſſe, arcemq́; Altenburgum extruxiſſe opinatur. Eiusdem omninò opinionis eſt Franciſcus Guillemannus in ſuo Habsburgiaco, quem miror nullã Stumphij feciſſe mentionem, cùm tamen penè omnia, quæ in hanc ſententiam affert, à Stumphio ſit mutuatus. Verùm huic peculiari Stumphij opinioni, præterquàm quòd omnes ij auctores adverſentur, qui Comites Altenburgicos ab Auſtraſiæ Regibus derivant: tum maximè repugnat Albertus Argentinenſis, qui vt ſuprà vidimus, ab illis duobus fratribus Romanis non Comites Altenburgicos, ſed omnes Habsburgios poſteà proceſſiſſe commemorat; manifeſtéque ſupponit, antè eorundem fratrum in Germaniam adventum, jam caſtrum Habsburg exædificatum fuiſſe, vt infrà fuſiùs oſtendemus. Quare cùm plures Altenburgi Comites in Helvetiæ oris floruerint ante conditum à Rapatone caſtrum Habsburg, vt ipſe fatetur Stumphius; conſequitur fratrum illorum, à quibus Habsburgij Auſtrij ſunt oriundi, in Germaniam migrationem multò recentiorem eſſe, quàm vt ad majores Comitum Altenburgicorum referri poſſit. Sunt præterea multa alia valdè idonea ad convellendam hanc opinionem, ſed alibi infrà aptiùs ex inſtituto, quàm hic in alieno loco ex occaſione inſerentur.

Refutatur Stumphius.

Cæterùm communis & veritati, meâ ſententiâ, omninò conſentanea opinio illa eſt, quæ tradit dictos duos Fratres Romanos, qui Româ profecti in Helvetiæ partibus ſedes fixêre; auctorésque extitère novæ Habsburgiæ familiæ (ex qua Sereniſſima Domus Auſtria progreſſa eſt) ſtirpis Perleoniæ germina fuiſſe. Cui certè opinioni, vt omninò aſſentiar, facit imprimis auguſta D. Maximiliani I. Imperatoris auctoritas, qui, vt [a] Paulus Iouius atteſtatur, religioſus ſuæ originis indagator fuit. Is enim, vt idem Iouius & [b] Hieronymus Rubeus Rauennas referunt; aſſeuerare ſolebat Auſtriacæ Domûs nobilitatem Romani ſanguinis ſtirpem reſpicere, per-

Vera ſententia.

Maximilian⁹ I. Imperator.

a In elogiis virorum bellica virtute illuſtrium lib. 5. & 6.

b lib. 5. Hiſtor. Rauennat. ad annum 824.

ducto ſtemmate à Perleonum familia. Quod etiam idem ſenſiſſe Carolum V. Lucas Contilis tradit, qui ait eundem Imperatorem Romæ conſtitutum percunctatum fuiſſe, an adhuc aliquæ reliquiæ familiæ Frangipaniæ ſeu Perleoniæ in vrbe extarent; vbi illi exhibita eſt ex eadem ſtirpe oriunda ſuperſtes valdè venerabilis perſona. Eiuſdem quoque ſententiæ fuiſſe Sigiſmundum Auſtriacum patruelem Friderici IV. Imp. Henricus Gundelfingenſis tradit. In qua quidem ſententia Sapientiſſimos Cæſares & Principes abſque vllo fundamento, aut gravi veterum auctoritate, aut ſine certa à majoribus ſuis traditione fuiſſe, permanſiſſeque, non auſim affirmare: præſertim cùm Trithemius, Menlius, Stabius, Gebuillerus & alij non defuerint, qui eos in contrariam & commentitiam ſuam opinionem pertrahere ſunt conati. At ipſum Iouium audiamus; ſic enim de Maximiliano I. Imp. loquens ait: Ferunt Auſtriacæ Domûs Nobilitatem Romani ſanguinis ſtirpem reſpicere perducto ſtemmate à Perleonum familia; ex qua fuerunt celeberrimi olim Comites ex Tribu montis Aventini. Hos enim ad Auſpurgum conſediſſe conſtat inter Rhetos, Noricos & Vindelicos; non longè ab Heluetijs, coaleſcenteque ſenſim potentia Auſtriaci principatûs, vt ipſe Cæſar ſuæ originis religioſus indagator aſſeuerabat, jura & titulos condidiſſe, eiuſque dominatûs claritudinem bellica quæſitam virtute, & longa vetuſtate conſtitutam propagaſſe. Hinc evenit, vt facilè credamus, Auguſtam hanc Imperij dignitatem ad Auſtriacos Principes, quòd Romani ſunt generis, fatali quodam jure perveniſſe: Quando jam pridem abolita ſit acclamationis militaris conſuetudo, qua Imperatores olim apud exercitum in caſtris fiebant, & ipſa etiam ſeptem Germaniæ procerum ſuffragatio penitùs obſoleſcat, toto, ſcilicet hoc honore, per manus præpotentium Cæſarum legitimè tradito confirmatoque, qui jam altas jecerit radices, vt in vna familia non dubiæ hæreditatis nihil interciſa ſerie, decentiùs atque ſtabiliùs refloreſcat. *Hæc Paulus Iouius Nouocomenſis Epiſcopus Nucerinus, qui ob Germanicæ linguæ ignorationem Auſpurgũ cum Habsburgo cõfudit: quod etiam accidit doctiſſimo Rubeo, qui nomine illo Iſpruchum ſeu Oenipontem ſignificari putavit. Rubei ſunt hæc verba:* Siquidem Perleonia familia inter Romanos nobiliſſima; illa eſt, è qua clariſſimi Comites Montis Aventini & Auſtriæ Domûs Principes prodiêre. Reperitur enim ex Perleonijs quoſdam Iſpruchum, Oenipontem appellant, ad habitandum profectos, inter Auſtriæ ac Boiariæ populos ab Heluetijs haud procul; paulatim verò eorum dignitate indies creſcente principatûs Auſtriæ jura, titulumque fundarunt, vti Maximilianus Cæſar Caroli V. avus affirmare conſueverat.

Carolus V. *Lucas Contilis in Sym. Philip. Secundi Regis Hiſpaniarum.*

Sigiſmund⁹ Auſtriacus. *Henricus Gundelfingenſis Hiſt. Auſtriac. epit. I.*

Paulus Iouius vbi ſuprà.

Hieronymus Rubeus Ravennas vbi ſuprà.

Ità ſanè Rubeus eodem modo, quo Jovius, Imperatoria nixus auctoritate, quæ jure apud vniuerſos non ſolùm ob venerandam auguſti nominis majeſtatem; ſed etiam ob ſummam illorum Principum fidei & vitæ integritatem maximi ponderis eſſe debet & momenti. Verùm hæc opinio non tantùm ſuffragatione Imperatoria, quæ ſola ſatis eſſet, ſed & plurimorum adſtipulatione Hiſtoricorum cùm noſtratium, tùm exterarum nationum maximè roboratur.

Scriptores Germani pro hac opinione.

Nam vt à noſtris ordiamur, præter eos Scriptores Germanos, quos ſuperiori capite ex Volaterrano & Lazio recenſuimus, hanc eandem ſententiam noſtram, tanquam jam plurium ac veterum Hiſtoricorum teſtimonijs celebratam firmatamque, ſcriptis ſuis prodidit Henricus Gundelſingenſis artium Magiſter, & Eccleſiæ Friburgenſis Sacellanus, qui floruit circà annum DOMINI *milleſimum quadringenteſimum ſeptuageſimum ſextum, cujus hæc ſunt verba ad Sigiſmundum Auſtriacum:*

Henricus Gundelfingenſis.

Extat M. S. in Cæſarea Bibliotheca Viennæ, Num. 321.

Secundum Epitoma Illuſtrium Comitum Aventinorum tuo ingenio, Præcelſe Princeps, relinquo; qui tui originem, tuorumque prædeceſſorum geſta ac annalia prioribus ex Chronographiis melius noviſti. Eapropter eorum ſcribendo magnalia, manum retraho, cùm omnibus in hiſtorijs non exigua cum opera, vigilantia, ac lucubratione dilucidata ac deprompta ſint. Eorum tamen ſucceſſionem brevibus, incultisque explicabo verbis.

Relegatis ac deportatis ob potentis Senatoris trucidationem olìm duobus fratribus præclaræ Romanorum familiæ PetræLeonis dictæ de Aventino monte, à Julij Cæſaris (valentiſſimi omnium Principis, qui in vigore animi non habuit parem nec ante ſe, nec poſt ſe) familia deſcendentibus, ipſisque ad Alpium juga venientibus, vbi nunc caſtrum Habsburg Lucernenſem circà lacum collocatum cernitur. Senior adeptus prædia & poſſeſſiones, junior ingentia vaſallorum dominia; de quibus poſteri deſcenderunt Comites. *Ità Gundelſingenſis: ex quo præterea colligitur, quàm inſignis ſit Guillemanni in Volaterranum calumnia, dum ipſum primum auctorem facit, qui reperta nominataque gente Romana Habsburgios à Perleonibus oriundos, & à caſtro Habsburgo juxtà lacum Lucernenſem denominatos affirmat.*

In Habsburgiaco lib. 1. cap. 1. & 2.

Nam quicquid ſit de caſtro prædicto, illud tamen certum eſſe debet, Volaterranum non primùm nominaſſe gentem Romanam Perleoniam, à qua Habsburgij Auſtrij ſint oriundi; ſed longè ante ipſum eam opinionem à vetuſtis Ger-

mani-

manicis ſcriptoribus ad ſeram poſteritatem propagatam fuiſſe; errorémque ſi qui eſt, in ſuprà memorato caſtro Habsburg, non ipſius Volaterrani, ſed eorum auctorum eſſe, quos Volaterranus eſt ſecutus. Sanè Gundelfingenſem antiquis nixum auctoribus ex eius præfatione liquet, in qua ſe ſequi profitetur eoſdem Scriptores, quos ſuperiori capite citavimus ex Volaterrano, nempè Jordanum Oſnaburgium, Hermannum Comitem de Sulgovv, Otthonem Comitem de Feringen Epiſcopum Friſingenſem; & Matthæum quendam de primorum Auſtriæ Ducum origine: quos cùm pariter in deſcribenda Habsburgiorum Auſtriorum origine Duces & auctores habuerit Volaterranus, ſatis conſtat ipſum non incertos ac vanos vulgi rumuſculos, quæ Guillemanni in eundem eſt calumnia; ſed comperta atque prioribus in annalibus conſignata prodidiſſe. Sed ad inſtitutum noſtrum revertamur.

Antropologia lib. 23. circà finem.

Poſt Henricum Gundelfingenſem hanc eandem opinionem plures alij Scriptores Germani celebravère: quorum teſtimonia ab Arnoldo Wion, ex commentariolo Hieronymi Bardi Florentini deſcripta, hìc ad integrum reddenda operæ precium duximus.

Primus igitur ex citatis à Bardi, eſt anonymus quidam auctor Hiſtoriæ Bauariæ & Sueuiæ, qui agens de Ducibus Auſtriæ hæc habet: Auſtriæ nunc moderni Duces originem habuerunt à Petris Leonibus Romanis Comitibus Montis Aventini, cuius familiæ Domus ſunt in Aventino propè Sabellorum ædes, quæ prius Perleonum fuère. *Idem confirmat Seleſtadienſis his verbis:* Ducibus Auſtriæ Perleones Comites Romani originem dederunt. *Quibus conſentanea ſcribit Wimpelengus, dum ait:* Carolus V. Imperator progenitores habuit Romanos Perleones in monte Aventino habitantes. *Adſtipulatur & his Richardus Rantchinus inquiens:* Auſtriæ Duces initium habuerunt à Perleonibus Romani Imperij Patricijs *Denique Wolffgangus Sileſius in Auſtria ſua M S.* Perleones, *inquit,* originem tuis progenitoribus invictiſſime Cæſar dederunt.

Auctor Hiſtoria Bauarica & Sueuica.

Seleſtadienſis lib. 2.

Iacobus VVimpelengus in Epitome.

Richardus Rantchinus lib. 1.

VVolffgangus Sileſius in Auſtria ſua M S.

Atque hi omnes auctores Germani ſunt, qui à Hieronymo Bardi, pro hac noſtra ſententia adducuntur, quibus addi poteſt Ioannes Nauclerus Tubingenſis Suevus, qui cùm ad

Rudol-

Ioannes Nauclerus Tubingenſis guerus, Tom. 2. Coronographiæ generat. 43.

Rudolphum I. Imp. decurſu operis ſui perveniſſet, hæc obiter de eiusdem genere affert: Originem Comitibus de Habsburg à Perleonibus Comitibus, Romanis civibus multi deducunt ex Aventino monte ſplendida nobilitate; freti (opinor) non omninò malis auctoribus, apud quos eius rei fides eſto. Nos qui vir Rudolphus fuerit, tanti hæres Imperij ſtudioſiùs exſequemur. *Ita Nauclerus, qui etſi ambiguus ſit, multùm tamen noſtræ opinioni fauere videtur.*

Scriptores Itali pro hac opinione. *Raphael Volaterranus lib. 23. Antropol.*

Porrò ex Italis Scriptoribus hanc eandem ſententiam multi & graues auctores conſtabiliunt: inter quos primus occurrit Raphael Volaterranus, qui de Maximiliano I. Imp. agẽs, ſic ait: Apparet Maximilianum Romanos habuiſſe progenitores olim Perleones Comites Montis Aventini, cuius familiæ nonnullæ ſunt Romæ reliquiæ propè Sabellorum ædes, quæ prius Perleonum fuere, quibus cognomen dedit Petrus Leonis filius, Stephani nepos, Maximi pronepos, quorum memoria ſepulchri pro foribus templi S. Alexij cernitur. Is anno M C X V I I I. magna in Vrbe potentia, auctoritateque ſub Paſchale II. fuerat; cuius duo nepotes per ſeditionem ex Vrbe profugi ad Alpes venerunt, ubi circa Lucernæ lacum prædia ac terras mercati ſunt, caſtrumque in eo loco Avenburgum deindè excitarunt, quaſi Aventini oppidum, licet nonnulli Abesburgum dicant, quod lingua Germanica Abec accipitrem ſignificet, qui olim ab eis dimiſſus cum præda capta in eo monte conſtitit, vbi ex auſpicio ipſi poſteà oppidum condidere. Alter ex his præſul Argentinenſis fuit. Ex altero qui nobilem in ea regione duxit vxorem, natus eſt Albertus, qui Albertum & Rudolphum Imperatorem primum ex Comitibus Abesburgenſibus genuit. *Hactenus Volaterranus, cui tamen de caſtro Habsburg à Perleonibus condito, & alijs quibusdam hanc rem attingentibus minimè aſſentimur, vti infra patebit, vbi hæc accuratiùs pertractabimus. Cæterùm eandem opinionis noſtræ firmitatem egregiè, vt refert Arnoldus Wion, demonſtravit Onuphrius Panuinius duobus antiquis inſtrumentis, quæ ex M S S. affert lib. 3. de gente Frangipania cap. 7. quæ quidem inſtrumenta hîc deſcribenda integrè fuiſſent, ſed librorum dictorum copiam necdum habere potui. Huic adde Paulum Iouium Epiſcopum Nucerinum, & Hieronymum Rubeum Rauennatem, qui vt paullò antè vidimus, pari conſenſione hanc ſententiam amplectuntur. Pluribus verò eandem proſequitur Philippus Gothus Siculus Meſſinenſis eques in tractatu vulgari Italico, quem de inventione corporum SS. Placidi Anicij Abbatis & Sociorum, ac de*

Onuphrius Panvinius.

Paulus Iouius.

Hieronymus Rubeus vbi ſuprà.

Philippus Gothus Siculus.

trium-

triumphis in illa celebratis compoſuit: qui etiam præter Panuinium in hanc ſententiam citat Marcũ Antonium Marſilium Columnam Archiepiſcopum Salernitanum libro de Eccleſiaſticis redditibus, & Lucam Contilem in comment: ſuper Symbolum Philippi II. Regis Hiſpaniarũ, quem etiam in finem idem à Scipione Mazella in deſcriptione regni Neapolitani citatur.

Marcus Antonius Marſilius Columna Archiepiſcopus Salerni. Lucas Contilis. Scipio Mazella.

Nec verò quempiam movere debet, quòd dicti Auctores Habsburgios Auſtrios à Frangipanibus deſcendere aſſerant: vnam enim & eandem familiam fuiſſe Perleonum & Frangipanum, egregiè animaduerterunt [a] *Panuinius, & illuſtris Marchio* [b] *Petrus Villa de Canibus, & nos ſuo loco ex antiquis monumentis palàm faciemus. Sed neque prætereundus nobis eſt hoc loco doctiſſimus noſtri temporis Scriptor, Alfonſus Ciaconius Biacenſis Ord. Prædic. & Apoſtolicus Pœnitentiarius, qui in Anacleto ſecundo Pſeudo Põtifice hanc eandem noſtram ſententiam de origine ſtirpis Habsburgiæ Auſtriæ ſequitur, dum ait:* Petri Leonis gens quæ & Gratiana aliquando, à Petro Leone & Gratiano quibusdam viris in ea familia primarijs vocata eſt, Romæ nobiliſſima & potentiſſima ante annos penè 600. fuit, hominum belli pacisq; inſtructorum numeroſa copia, divitiarum affluentia, ſummis honoribus in Vrbe geſtis & maxima per agrum Romanum ditione pollens. Ex qua ſtirpe genus Auſtriacum omnium totius orbis terrarum, rerum magnitudine, tot regnorum Imperijs, vndecimq; Impp. editis noſtrò tempore clariſſimum manaſſe, auctor eſt Albertus Argentoratenſis rerum Germanicarum latè vetuſtus Scriptor. *Hæc Ciaconius.*

[a] In Papa Anacleto II.
[b] In tractat. de familia S. Placidi.
Alfonſus Ciaconius in Anacleto II.

Quod ad Albertum Argentoratenſem attinet, nulla quidem Perleoniæ gentis mentio reperitur in fragmento Chronici ipſius, quod Cuſpinianus typis edendum curavit: quia tamen Ciaconius Vaticana vſus eſt Bibliotheca, autographorum feraciſſima; atque Gundelfingenſem ea, quæ de Perleonia gente ſuprà prodidit, ab eodem Alberto mutuatum eſſe, non improbabiliter augurari licet; non ſum equidem ad coarguendum tam proclivis, vt ob id Ciaconium malæ fidei accuſem. Contingere enim potuit aut librariorum, aut typographorum incuria, aut etiam dedita quorundam opera, vt ſit prætermiſſum in cæteris exemplaribus, quod in autographo invenitur clarè expreſſum. Sed ad rem redeamus. Præter dictos auctores hanc eandem

de Habsburgiæ gentis primordijs ſententiam amplexus eſt Thomas Bozius diverſis in locis. Eius hæc ſunt verba: Eodem modo Auſtriaci nunquam non leguntur nobiles fuiſſe, atque à nobilibus ortum ducunt. Comites enim priùs Habsburgienſes cùm forent, genus ſuum referunt ad Patricios Romanos à familia Petri Leonis.

Libr. 8. de ruinis regnorum & gentium. & Libr. 21. de ſignis Eccleſiæ.

Denique, vt finem huic capiti imponamus, hanc de Genealogia Principum Auſtriacorum controverſiam hac noſtra ætate præ cæteris quos vidi, fuſiùs accuratiúsque pertractavit Arnoldus Wion Belga Duacenſis Monachus Ordinis D. Benedicti, Congregationis Caſſinenſis, aliàs S. Juſtinæ de Padua; ſecutus maximè manuſcriptum hac de re Commentariolum Hieronymi Bardi, cuius ſuprà fecimus mentionē: quos vtróſque quidem ita viæ noſtræ Duces habuimus, vt tamen maxima ex parte libero pede incederemus.

Hieronymus Bardi. Arnoldus VVion.

Hanc igitur de familia Habsburgia Auſtria ex Perleonia ſtirpe profecta, tantorum virorum ſuffragio & teſtimonijs probatam, confirmatámque ſententiam, quis non jure illi anteponendam duxerit, quæ nulla veterum auctoritate nixa, ſed duntaxat leviſſimis quibusdam conjecturis fulta gentem Habsburgiam Auſtriam ex Gallicano Regum ſtemmate ortam eſſe cōminiſcitur: renuentibus etiam Belforeſtio & Roſierio præcipuis noſtri temporis Galliæ Hiſtoriographis, qui Galli cùm ſint, gloriaríque meritò deberent Sereniſſimam Domum Auſtriam ex Francorū Regum ſanguine propagatam: profitentur tamen ingenuè ſe nihil invenire potuiſſe pro huiusmodi Genealogia ſtabilienda, quòd ſatis ex fide ab eius aſſertoribus traditum eſſe convincatur.

CAPVT

CAPVT VII.

Quando & à quo caſtrum Habsburg in Ergovia ſit conditum.

STabilita igitur noſtra de Habsburgię Auſtrię gentis origine ſententia; reliquum eſt vt ea, quæ hactenùs eidem opinioni aut falsò affictа, aut perperàm commixta fuère, ab illa accuratiſſimè ſecernamus. Sicut enim natum in intimis terræ viſceribus aurū, rariſſimè purū putū effoditur, ſed plurimùm multis diuerſisq; ignobilioribus admixtum metallis invenitur: ità veritas rarò ſola ac ſincera reperitur, ſed plerúmque ipſa temporis diuturnitate quaſi ſitu quodam rubigine obducta, & ineruditorum ſæculorum fabuloſis maculis conſperſa è diſcrepantibus Scriptorum monumentis non ſine magno labore & induſtria eruitur. Verùm enim verò quemadmodùm in fornace, vt ſacræ loquuntur literæ, probatur aurum, & igne argentum, ab vniuerſis ſordidis & ſcoria perpurgatur: eodem modo omnis antiquitatis commemoratio ad certā temporis rationem comparata, facilè ex ſe ipſa prodit, quid in ea ſpurium ſit commentitiúmque, aut quid ſolidæ & genuinæ veritatis. Sap. 3.

Quoniam igitur res eò deducta eſt, vt inter apocryphorum quiſquilias arbitri conſidentes, quæ magis veriſimilia comprobentur, ea jure deligenda putemus: ſemper quidem mihi illa opinio multùm à veritatis ſcopo aberrare viſa eſt, quæ tradit primos Habsburgici caſtri & tituli conditores & auctores fuiſſe Perleones. Id enim certiſſimæ temporis rationi, quam infrà de Perleonum in Germaniam migratione ſtabiliemus, omninò repugnat. Huius autem opinionis præcipuus, ſed non primus auctor fuit Volaterranus: quem ſecuti ſunt Hiero-

ronymus Bardi, Arnoldus Wion, ac alij recentiores, qui ſentiunt Habsburgum à Perleonibus Romanis aut de novo exſtructum, aut certè in eodem loco, ubi fuerat primum illud Rapotonis reædificatum; & ob memoriam cùm primi nominis, tùm etiam Aventini montis, Avenburgum appellatum; quod poſteà, uti uſu evenire ſolet, ex corrupto loquendi more in Habsburgum fuerit commutatum.

Locus Alberti Argentinenſis elucidatur.

Cæterùm hi auctores occaſionem in hanc opinionem veniendi mihi ſumpſiſſe videntur ex Magiſtro Alberto Argentinenſi, decepti ipſius modo loquendi: nam cùm eius orationis ſtylus valdè incultus ſit, & humilis, uti illud ſæculum ferebat, plurimiſque refertus idiotiſmis, ipſi eius dictionem cultiorem reddere volentes, propter ſermonis elegantiam aliquo modo à tramite veritatis receſſerunt. Vbi enim in antiquis exemplaribus legitur: Requirens autem de juniore quid egiſſet, illum ſe in fortiſſimam quandam munitionem collocaſſe vidit: *quæ verba ipſi, ut cum prioribus magis cohærerent, ſic verterunt:* Requirens autem à Iuniore quid cum ſua ſubſtantia egerit, ille ſe omnem in unam munitionem fortiſſimam collocaſſe reſpondit: *quæ verborum ſententia plus omninò, quàm prior complectitur. In illa enim ſignificatur tantùm, juniorem in caſtrum quoddam munitiſſimum ſe recepiſſe, ibique ſedem fixiſſe: in hac verò, eum omnem pecuniam à patre acceptam in exſtruenda arce munitiſſima expendiſſe; quod omninò præter mentem eſt M. Alberti Argentinenſis: immò diligentiùs rem conſideranti facilè apparet, ſupponi ab Alberto caſtrum illud munitiſſimum jam excitatum fuiſſe, antequàm in illud ſe reciperet junior Petrus Leo. Quod etiam ex eo fit manifeſtum, ſiquidem ante eorundem Perleonum in Germaniam adventum plures Comites ab eodem caſtro Habsburg in Ergovia ſito cognominati reperiuntur: ut non ſolùm antiqua eorundem monumenta in Murenſi Cœnobio quæ allegat Gebuillerus, ſed & veteres Heluetiorum annales teſtantur.*

Annales parvi Helvetiorum lib. 5.

Verùm omnem hac de re dubitanti ſcrupulum exemit Franciſcus Guillemannus, qui producto in lucem teſtamento

Verneri Habsburgienſis Comitis & Epiſcopi Argentinenſis, quod factum eſt anno DOMINI *milleſimo vigeſimo ſeptimo, omninò demonſtrauit caſtrum Habsburg à Rapotone ſeu Rathboto ſumptibus & expenſis prædicti Verneri fratris eiusdem, antequàm nimirùm Vernerus à Conrado Imp. per ſpeciem honeſtiſſimæ legationis Conſtantinopolim in exilium mitteretur, conditum & ædificatum fuiſſe. Hæc enim inter cætera ibi leguntur:* Ego Vernarius Strasburgenſis Epiſcopus, & caſtri, quod dicitur HABSBVRG, fundator; Monaſterium in patrimonio meo, in loco qui Mure dicitur, in pago Argoia, in Comitatu Rore, in honore ſanctæ & individuæ Trinitatis, & ſanctæ DEI Genitricis Mariæ, omniumque Sanctorum conſtruxi. In Habsburgiaco libr. 4. cap. 3.

Porrò etſi ex dictis certum ſit & ſtabilitum, caſtrum Habsburg à Vernero & Rathboto exſtructum fuiſſe, indéque tituli ac nominis Habsburgici originem manaſſe: non tamen ex hoc conſequitur, quod adverſarij contendunt, poſteriores Habsburgios Auſtrios Principes, à veteribus illis paterno genere propagatos eſſe. Oſtenſum enim ſuprà eſt, poſſe contingere, ſæpiùsque contigiſſe, vt alij alijs in nomen ac bona ſuccedant, eadémque inſignia ac titulos vſurpent, quamvis prioribus nullo cognationis aut neceſſitudinis vinculo jungantur.

Itaque cùm aliundè certo certius conſtet, poſteriores Habsburgios Comites à Perleonibus Romanis oriundos eſſe: dicendum eſt, illos veteribus Habsburgicis in caſtrũ & nomẽ Habsburgium ſucceſſiſſe, non ſanguinis aut cognationis jure, niſi fortè illud ipſis ex materno obveniſſet genere; ſed aut ratione affinitatis, aut alio quovis nomine. Verùm de his inferiùs.

Prætereà ex dictis fit etiam manifeſtum, caſtrum Habsburg non ab Auendo caſtro nomen accepiſſe; vt vult Lazius, ſiquidem huius caſtri Comites Dagsburgenſes non Habsburgenſes nuncupatos ſuprà convicimus: neque à monte Aventino, cuius olim comites vocabantur Perleones; quandoquidem oſtendimus caſtrum Habsburg conditum fuiſſe antè Perleonum in Ergoviam adventum. Reliquum igitur Vnde caſtrũ Habsburg nomen acceperit.

eſt ut ſentiamus, aut ab accipitre caſtrum illud nomen ſortitum eſſe, qui Germanica lingua Habich appellatur: quam opinionem ſuprà etiam Volaterranus inſiuavit, dum ait: Nonnulli Auesburgum ſic nuncupatum dicunt, quod lingua Germanica Abech accipitrem ſignficet, qui olim ab eis dimiſſus cum præda capta in eo monte conſtitit: vbi ex auſpicio ipſi poſteà oppidum condidêre, *nempè Perleones illi duo fratres, quos opinatus eſt primos Habsburgi conditores fuiſſe: aut quod veriſimilius eſt à germanico habendi vocabulo, eò quòd Vernerus Epiſcopus Argentoratenſis in illud habentiam ſuam conferre deſtinârit.*

Volaterranus vbi ſuprà.

CAPVT VIII.

Quo tempore duo Fratres Perleones Româ profecti in Alemanniã commigrârint.

DVò igitur ex hactenùs dictis ſunt certa ac ſtabilita; primum eſt, poſteriores Comites Habsburgios, à quibus moderni Archiduces Auſtriæ ſunt oriundi, germen fuiſſe Romanum nobiliſſimæ ſtirpis Perleoniæ, quod partim auctoritate & teſtimonijs antiquiſſimorũ, clariſſimorumq; Scriptorũ; partim ſufficienti rationum in contrarium objectarũ confutatione demonſtrauimus. Alterum verò, quod ſuperiori capite explicuimus, eſt; caſtrum & nomen Habsburg minimè originem ſumpſiſſe à Perleonibus Romanis, ſed plures fuiſſe Comites ab Habsburg antequàm Perleones in Germaniam commigrârunt. Quare reliquum eſt, vt oſtendamus, quo tempore & quo modo ſtirps Perleonia in nomen & comitatum Habsburgium ſucceſſerit.

Vt autem certo ordine progrediamur, principiò inveſtigandum eſt tempus, quo dicti duo fratres Perleones Româ pulſi

in Alemanniam ſeceſſerunt, quod non erit factu difficile ſi priùs ſtatuamus quis eorundem Perleonum, qui in Ergovia conſeſediſſe dicuntur, fuerit parens.

Quis fuerit pater Perleonum, qui in Alemaniam commigrarunt.

Et quidem hoc abſq; vlla controverſia tribuitur Leoni III. de Maximis cognominato, qui etiam dicebatur Maximus Petrus Leo, & filius erat Petri Leonis Comitis montis Aventini Romæ, cuius potentiam & zelum erga Sedem Apoſtolicam egregiè produnt Platina in vitis Paſchalis II. & Gelaſij II. Pontificum Romanorum, Carolus Sigonius de regno Italiæ lib. 10. Dodechinus Abbas in appendice ad Marianum Scotum, Card. Cæſar Baronius Annal. Eccleſiaſticorũ Tom. 12. & nos inferiùs libro ſeptimo plura de eodem afferemus. Habuit autem Petrus Leo præter dictum Leonem III. plures alios liberos, quorum ſuo loco faciemus mentionem.

Leo quando mortuus ſit.

Porrò Leo filius Petrileonis & pater Perleonum qui in Germaniam commigrarũt, obijt Romæ anno poſt CHRISTVM natum 1162. die 23. Aprilis; & præ foribus Eccleſiæ S. Alexij in monte Aventino ſepultus fuit, vt videre eſt ex eius Epitaphio, quod ibidẽ extare refert Volaterranus, Bardi, Antonius Vacca I.C. Romanus, & Arnoldus Wion: eſt autem huiusmodi.

Epitaphium Leonis de Maximis.

Maximus hinc ſurget gemina cum pube ſuorum.
Et nata, ſuperis dandus honore pio.
Quos Sergeſtus acer patrum longo ordine ſevit
Illuſtres animas, perque Ducum genera.
Mite genus hominum, ſapiens, inſigne, decorum
Nominis antiqui conſepelit tumulus.
Stephane poſt patris interitum Leo concidit imus,
Poſtque tuum lapſum atque ſororis iter.
Extraneo nulli liceat ſuperaddier iſtis,
Aut ſi quis violans ſit anathema DEO.
CHRISTE Decus mundi ſemper miſerere ſepultis,
Et loca fer pacis, qui bona cuncta facis.

Subtùs verò hæc inſcriptio legitur:

Obijt Dominus Leo de Maximis M. Aprilis D. XXIII.
Indictione XI. Anno DOM: noſtri M. C. LXII.

Filij Leonis de Maximis.

Habuit autem Leo de Maximis præter Stephanum, Leonem, & filiam cuius nomẽ ignoratur, quatuor alios filios, nempè duos illos fratres, qui patrium vertere ſolum coacti in Germaniam commigrarunt, & Petrum & Obicionem, quorum

memo-

memoria extat in antiquo inſtrumento inferiùs deſcribendo, ex quibus Stephanus & Leo paullò poſt obitum patris in ipſo pubertatis flore mortui, vnà cum ſorore in idem paternum illati ſunt monumentum, vti apertè ex deſcripti modò Epitaphij primo & quartò diſticho colligitur.

Opinio Volaterrani & Arnoldi Wion.

His itaque præmiſſis opinio eſt Volaterrani & Arnoldi Wion, tempore Alexandri III. Pontificis Romani, circà annum DOMINI *milleſimum centeſimum ſeptuageſimum, cùm ei non adeò morem gereret Fridericus I. Imperator, qui ſibi jura Pontificia contra jus & fas arrogabat, & nonnulli civium Romanorum eiuſdem idolis Antipapis adhærerent; alij verò iíq; nobiliores, inter quos erant Frangipanes & Perleones, partesq; veri Pontificis & Eccleſiæ tuerentur: dictos duos fratres Perleones, quorum potentiam præ cæteris Fridericus verebatur, ab ipſo in Germaniam relegatos eſſe.*

Refutatur ſuperior opinio.

Verùm hanc Perleonum in Germaniam migrationem non contigiſſe tempore Alexandri III. Pontificis Max. ſed multo antè, facilè ex eo convincitur; quòd prædictorum duorum fratrum pater Leo de Maximis è vivis exceſſiſſe reperiatur, vt jam vidimus, anno DOMINI *milleſimo centeſimo ſexageſimo ſecundo, die vigeſima tertia April. quo tempore Alexander, qui Romanus Pontifex creatus eſt, anno milleſimo centeſimo quinquageſimo nono Nonis Septemb. duntaxat ſedit duos annos, ſeptem menſes, & ſeptendecim dies; quo certè temporis intervallo (etiamſi ponamus fratres illos Perleones in ipſo Alexandri Pontificatûs exordio, aut etiam ſub Hadriano IV. vrbe exceſſiſſe) minimè ea contingere potuerunt, quæ poſt dictorũ fratrum in Alſatiam adventũ eveniſſe deſcribit M. Albertus Argentinẽſis: nimirùm poſtquàm vterque eorum ſtatum ſuum in Ergovia firmaſſet, natu quidem major pluribus coemptis prædiis & munitionibus; minor verò multitudine maxima clientum comparata: patrem poſt elapſum aliquot annorum ſpatium eosdem in illis partibus viſitaſſe, domúmque reverſum ingentem vim pecuniæ Iuniori tranſmiſiſſe; quæ omnia vt hoc modo ritè tranſigerentur, non exiguum annorum ſpatium deſiderarunt.*

Deindè

Deinde cùm Fridericus Imp. primùm Romam obſederit anno CHRISTI *milleſimo centeſimo ſexageſimo ſeptimo, nempè quinto anno poſt mortem Leonis de Maximis, quomodo potuit filios eiusdem Leonis Româ in Germaniam ablegaſſe, qui jam vivo patre indè exceſſerãt, vt diſertè M. Albertus Argentinenſis & Gundelſingenſis atteſtantur? Illud etiam penè incredibile videtur Fridericum, ſi hos duos fratres tanquam hoſtes ſuos vrbe ejeciſſet, paſſum fuiſſe, vt in vicinis Sueviæ partibus, natalis ſui ſoli tot prædia & munitiones coëmerent, novamq; & munitiſſimam arcem, vt prædicti auctores ſentiunt, Habsburgienſem exſtruerent. Accedit quod alter illorum fratrum jam anno milleſimo centeſimo ſexageſimo primo creatus dicatur Epiſcopus Argentinenſis, vt ipſe Wion fatetur: quare fateatur etiã neceſſe eſt, ipſos multò antè in Germaniam veniſſe; nam vt colligitur ex eodem Alberto Argentinenſi, hæc alterius ex ipſis electio in Epiſcopum Argentinenſem non contigit, antequàm eos parens in Germania inviſiſſet; inter quam tamen viſitationem & illorum migrationem nõ pauci, vt dictum eſt, interceſſerant anni. Igitur tantùm abeſt, vt duo illi fratres Perleones primùm ſub Pontificatu maximo Alexandri III. Vrbe ſint pulſi, vt etiã jam in Germania ampliſſima bona poſſederint, & ad publicos dignitatum Magiſtratus adminiſtrandos adhibiti fuerint. Denique cùm Albertum Habsburgium cognomento Divitem Rudolphus ipſe Imp. proavum ſuum fuiſſe teſtetur publico in inſtrumento, quod infrà deſcribemus, neceſſe eſt vt fateamur etiam eundem ex eadem ſtirpe Perleonia oriundum fuiſſe, è qua fuit Rudolphus. Quocircà cùm eo ipſo anno, quo Alexander III. Pontificatum Maximum inijt, jam pro Comite Habsburgienſi ſe geſſerit idem Albertus, vt aſſerunt Heluetiorum Annales, fatendum omninò eſt, jam ante Alexandri Pontificatum Perleones illos fratres in Germaniam veniſſe.*

Mea igitur ſententia eſt duos illos Perleones filios Leonis de Maximis per ſeditionem Româ coactos exceſſiſſe, Anno poſt CHRISTVM *natum milleſimo centeſimo quadrageſimo quinto: quo anno Eugenius III. ex Sacro Ciſtertienſi Ordine in* Tempus migrationis Perleonum ex Vrbe in Germaniam.

Origo ſeditionis Romanæ.

Pontificem Romanum aſſumptus eſt. Quod vt manifeſtum euadat, eius ſeditionis origo, hic paullò altiùs eſt repetenda. Tiburtini occaſione Schiſmatis, quod inter Innocentium II. & Anacletum Pſeudo Pontificem ortum fuerat; haud parere Pontifici aſſueti, ſolenne Innocentio obſequium, etiam ſchiſmate extincto, denegebant. Hos igitur Innocentius primò tantùm Sacrorum interdicto percuſſit: Sed cùm illi neglecta religione adhuc in contumacia permanerent; armis inſuper eos aggreſſus eſt. Qua in expeditione cùm Romani adverſarios quaſi imbelles contemnerent, Tiburtini ex improviſo eruptione facta caſtra Romanorum adorti, eos ſecum prælio decertare coëgerunt, ac demùm loco motos caſtra opulentiſſima deſerere, & fuga ſalutem ſibi quærere compulerunt. At verò cùm non eſſet impunita relinquenda Tiburtinorum audacia, & recalcitrans contra Eccleſiam contumacia; vertente anno Innocentius majoribus quàm antè viribus bellum Tiburtinum inſtaurauit; qui obſeſſos diu arctèque conſtrictos hoſtes tandem ad deditionem compulit.

Bellum Tiburtinum.

Verùm cùm Romani memores acceptæ ſuperiori anno à Tiburtibus cladis, plus ſatis in eos ſævire vellent, idque ne fieret, cùm Pontifex ſeveriſſimè caveret: illi furore in Tiburtinos concepto, mox verſo in Pontificem, eius tragediæ initium fecère, cuius cataſtrophen non niſi Clemens Tertius demùm abſolvit. Sed quomodò hæc ſe habuerint, præſtat à florentiſſimo eius ſæculi Scriptore Otthone Epiſcopo Friſingenſi, & S. Leopoldi Marchionis Auſtriæ filio audire: ſic enim ait:

Otth. Friſing. lib. 7. cap. 27.

Romanus Pontifex Innocentius, qui jam per multum temporis Tiburtinos excommunicauerat, ac alijs modis preſſerat, coangustatos ad deditionem, acceptis obſidibus ac jurejurando interpoſito, coëgit. Populus verò Romanus volens vt eos per obſides & ſacramentum ad duriſſima præcepta, id eſt, vt muris ruptis, omnes provinciâ cederent, cogeret: dum liberaliſſimus ac nobiliſſimus Sacerdos tam irrationabili & inhumanæ petitioni annuere nollet; ſeditionem ijdem Romani movent, ac in ipſo impetu in Capitolio convenientes, antiquam vrbis dignitatem renovare cupientes, Ordinem Senatorium, qui jam per multa curricula temporum deperierat, conſtituunt, & rurſum cum Tiburtinis bellum innovant. Cauſa verò tantæ immanitatis fuit, quòd in priore anno, dum cum Pontifice

ſuo

ſuo in obſidione præfatæ Ciuitatis morarentur, ciuibus egreſſis, & cum ipſis manum conferentibus, multis amiſſis ſpolijs turpiter in fugam converſi ſunt. Idcircò nulla, niſi quam diximus, conventione vſque hodie ſe poſſe placari aſſerunt. Verùm ſapientiſſimus Antiſtes prævidens, ne fortè Eccleſia DEI, quæ per multos annos ſæcularem Vrbis honorem à Conſtantino ſibi traditum potentiſſimè habuit, hac occaſione quandoque perderet: multis modis tam minis quàm muneribus, ne ad effectum res procedat, impedire conatur. Sed invaleſcente populo, dum proficere non poſſet, lecto cubans, juxta quoſdam de futuris viſione ſibi monſtrata, in pace quievit. *Hactenùs Ottho Friſingenſis. Mortuo igitur Innocentio, cùm Cæleſtinus, qui ei ſucceſſerat, vix ſex menſes ſediſſet; totam furentis populi vim ſubrogatus in locum Cæleſtini Lucius Papa excepit, vti ipſe ſuis literis ſcribens ad Conradum Regem teſtatus eſt: in quibus hæc inter cætera leguntur:* Populus Romanus nullas inſaniæ ſuæ metas ponere volens, Senatoribus, quos antè inſtituerãt, Patricium adijciunt, atque ad hanc dignitatem Jordanem Petri Leonis filium eligentes, omnes ei tanquam Principi ſubijciuntur. *Subdit his verò Ottho dicens:* Deinde Pontificem ſuum adeunt, ac omnia regalia eius tam in Vrbe, quàm extra poſita ad jus Patricij ſui repoſcunt; eumque more antiquorum Sacerdotum de decimis tantùm & oblationibus ſuſtentari oportere dicentes, de die in diem animam juſti affligere non timuerunt. *Hæc Ottho de his, quæ à Romanis paſſus eſt Lucius: quem quotidianis cruciatibus de eiusmodi Romanorum rebellione, ac tædio vitæ affectum, infrà anni ſpacium Pontificatûs ſui, diem obijſſe idem tradit.*

Extat apud Otthonem Friſingenſem lib. 7. cap. 31.

Eo verò ſepulto Cardinales maximo animorum conſenſu Bernardum S. Bernardi diſcipulum patriâ Piſanum ex Abbate Monaſterij S. Anaſtaſij trium fontium Ordinis Ciſtertienſis Pontificem ſublegerunt, ac populo renunciatum Eugenium tertium appellarunt, virum, vt inquit Baronius, pietate inſignem, & prudentia in negotijs obeundis locupletem: qui cùm à Romanis ad remittenda vrbis vectigalia vrgeretur, eos ità aſpernatus eſt, vt ne dignos quidem, queis cum habitaret, putarit. Itaque Vrbe ſtatìm egreſſus ad Monaſterium Farfenſe ſe contulit, eòque Cardinalibus evocatis novo inſtituto ibi conſecrationem accepit, atque indè aſpectum pervicacis populi devitans, Viterbium ſe recepit. At quid in furorem verſi Romani? Vbi viderunt cùm Eugenium, tùm Cardinales omnes

Tom. 12. Annal. Eccleſiaſt.

ex ſuis manibus elapſos eſſe, populari tumultu concito turres potentum, qui pro Pontifice & Eccleſia ſtabant, & domos qui cum Pontifice aberant, Cardinalium deturbârunt, Baſilicam Vaticanam ceperunt, ac peregrinos religionis causâ Romam profectos expoliârunt, quique mulctam petitam pendere recuſavêre, eos in porticu miſerè trucidârunt. Sed vt ad inſtitutum noſtrum revertamur, huic furioſo populi conatui, ſoli ex Nobilioribus civibus Romanis Frangipanes & Perleones reſiſtebant, vno Jordane excepto inter perduelles profitente: qui omnes vnà cum Rogerto Rege Siciliæ partes Eccleſiæ & Pontificis tuebantur. Vndè non ſolùm à factioſis graviſſima damna patiebantur, verùm etiam quidam illorum Vrbe ejecti & in exilium pulſi ſunt. Inter quos equidem fuiſſe duos illos filios Leonis de Maximis, de quibus nobis ſermo eſt, ipſorum factioſorum Romanorum litteræ ad Conradum Regem, quas ſequenti capite deſcribemus, magno ſunt argumento. Nam perduelles illi in ijs litteris diſertis verbis profitentur, ſe civium illorum, qui ipſis vnà cum Siculo & Papa (vt ijdem aiunt) reſiſtebant, non ſolùm domos & turres partim cepiſſe, partim ſolo æquaſſe, ſed etiam plures ex ipſis Vrbe pepuliſſe. Quod cùm non tantùm de Frangipanibus, ſed etiam de Perleonibus ſit intelligendum, vt ſequenti capite conſtabit; cúmque ex Perleonia gente nulli alij reperiantur patria extorres facti, præter duos illos Perleones, qui novæ Habsburgiæ familiæ auctores extitêre, nullo modo dubitamus affirmare, eoſdem hoc tempore à factioſis Vrbe pulſos eſſe, & in Germaniam commigraſſe, præſertim cùm ratio temporis, ac cæteræ circumſtantiæ nobis maximè ſuffragentur.

Frangipanes & Perleones ſtant pro Pontifice & Eccleſia.

Neque enim, vt vult Lazius, hoc referri poteſt ad Frangipanes, qui in Dalmatiæ & Croatiæ partibus clariſſimæ gentis in vtriſque Provincijs auctores fuêre: nam tres illos Frangipanios à quibus Frangipanij Hungari & Signiæ Comites, ſicut & Michaëlij Veneti, nec non Comites Aquinates & Domini Aſturæ & de Tolfa ſunt oriundi, jam circà annum DOMINI octingenteſimum triceſimum tertium Vrbe egreſ-

Lib. 6. de gentium migrationibus.

ſos eſſe, libro tertio ex vetuſtis Reipubl. Venetæ monumentis faciam teſtatum.

Cæterùm ſatis mirari non poſſum, Volaterranum hanc Perleonum ex Vrbe profectionem ad annum centeſimum ſeptuageſimum ſeptimum ſuprà milleſimum retuliſſe, cùm Otthonem Friſingenſem pro ſua opinione adducat: qui certè auctor, cùm anno milleſimo centeſimo ſexageſimo diem obierit extremum, non niſi ad hanc, de qua agimus, Perleonum ex Vrbe relegationem reſpexiſſe potuit.

Refellitur. Volaterranus.

Igitur ex his certum ſit ac cõſtitutum duos illos fratres Perleones, à quibus moderni Habsburgij Auſtrij Principes deſcendunt, per ſeditionem Vrbe pulſos eſſe, anno primo Eugenij III. Romani Pontificis, qui, vt dictum eſt, fuit annus poſt CHRISTVM natum milleſimus centeſimus quadrageſimus quintus. Eo enim anno adeò invaluiſſe Romanorum adverſus Pontificem rebellionem, nempe poſt reditum in Vrbem Arnaldi de Brixia Hæreſiarchæ, eóque auctore & anteſignano, ea omnia ab iiſdem per ſummum ſcelus præſumpta ac perpetrata eſſe, quæ ipſi in dictis litteris ſe pro exaltatione & augmento Romani Imperij feciſſe falsò gloriantur, jam ſequenti capite fuſiùs oſtendemus.

CAPVT IX.

Quam ob cauſam dicti duo fratres Perleones patrium vertere ſolum ſint coacti.

ETſi igitur ex ijs, quæ ſuperiori capite attulimus, ſatis perſpicuum eſſe poſſit, quam potiſſimùm ob cauſam duo fratres Perleones filij Leonis Maximi Vrbem relinquere ac in Germaniam migrare ſunt coacti: quia tamen Lazius Volaterranum ac alios carpit, quòd avitam Sereniſſimæ Auſtriæ Domûs originem ab homine exule deriuent, exilij eiusdem cauſam accuratè, & ex inſtituto perſequi non abs re fore duxi, cùm vt Lazianæ ſectæ homines intelligant, ex huiuſmodi exilio nullam non modò ignominiæ labem, ſed maximum ſplendorem, & ſempiternam laudem in Habsburgiam Auſtriam familiam redundare; tum vt vniuerſi perſpiciant, hanc ſublimem Auſtriacorum prærogativam, quâ omnes noſtri temporis Heroas antecellunt, & illam eorundem ſtupendam Imperij amplitudinem, ſingulare præmium ac munus eſſe à DEO *collatum, quo pios à progenitoribus ipſorum pro* CHRISTI *Eccleſia, eiúſque in terris Vicariis ſuſceptos immenſos labores, ac obita in ſummo rerum diſcrimine pericula, in eorundem poſteris cumulatiſſimè remuneratur.*

Lib. 1. Comment. Auſtriacæ familiæ cap 1.

Sed primum libet demirari Lazij fatuitatem, eique illud Satyricum obtrudere:

Quum tua pervidiàs oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum?

Hor. lib. 1. ſerm. Satyr 3.

Quæ enim (malùm) hæc aut animi immemoris hebetudo, aut perfrictæ frontis impudentia, illud alteri vitio vertere, in

quo

quo ipſe maximè vitioſus deprehendaris? nos quidem vt cenſet ille, grande peccatum & morte piandum committimus, cùm tam ſplendidum Auſtriadum genus ab homine exule derivamus; at ipſe cùm illud ipſum non tantùm ab homine exule, ſed etiam ſpurio dedicat, magnam tamen gratiam ſe iniſſe à Principibus Auſtriacis arbitratur. Nam Sigebertum ſuum, per quem tanquam per fiſtulam quandam Regium Francorum ſanguinem ad Habsburgios derivare conatur, ſemper & vbique exulem vocat, eúmque non ſolùm, ſed etiam patrem eius Theodebertum legitimo natalium honore ſpoliat: quod tamen de Theodeberto falſum eſſe ſuprà ex Belforeſtio annotavimus. Videant igitur ij, qui eius commentis legendis delectantur, quo modo hanc tam deformem maculam clariſſimæ integerrimæq; Domui per illum affictam aliquo honeſtatis fuco oblineant: nos quidem nullo negotio ex ipſa duntaxat rei geſtæ veritate oſtendemus, Habsburgios Auſtrios Perleonum poſteros ex progenitorum ſuorum exilio, omni triumpho, ornamento omni honoris, monumento gloriæ, laudis inſignibus, majorem excellentioremque ſplendorem ac decus, conſecutos eſſe.

Igitur vt hinc ordiamur, præter implacabile Romanorum in Tiburtinos odium verſum in Pontificem Maximum, ad inflammandam penitus jam motæ ſeditionis materiam tanquam fax quædam acceſſit Arnaldus de Brixia, qui ſub Innocetio II. in Concilio Lateranenſi hæreſeos damnatus, hactenus in Helvetiæ partibus tanquam anguis in herba latuerat: ſed defuncto Lucio Papa, jamque in locum eius ſubrogato Eugenio III. Viterbij reſidente, ipſe peſtiferum caput altiùs exerens Vrbem ingreſſus, nefarijs ſuis declamationibus ſeditioſi populi furijs faces planè ardentes miniſtravit: qua de re audi Othonem Friſingenſem eius temporis ſcriptorem, qui ait:

Circà Principia Pontificatûs Eugenij peſtifer Arnaldus Vrbem ingreſſus, cùm eam contra Pontificem ſuum in ſeditionem excitatam inveniſſet, viri ſapientis haud ſectatus conſilium, de huiuſmodi dicentis: Ne in eius ignem ligna ſtruas: ampliùs eam in ſeditionem excitavit, proponens antiquorum Romanorum exempla, qui ex Senatûs maturitatis conſulto, & ex juvenum animorum fortitudinis ordine, & integritate, totum or-

Arnaldus de Brixia incentor ſeditionis Romanæ.

bem

Ottho de rebus Friderici lib. 2. cap. 20.

bem terræ ſuum fecerint. Quare reædificandum Capitolium, renovandam dignitatem Senatoriam, reformandum Equeſtrem ordinem docuit. Nihil in diſpoſitione Vrbis ad Romanum ſpectare Pontificem: ſufficere ſibi Eccleſiaſticũ judicium habere. In tantùm verò huius venenoſæ doctrinæ cœpit invaleſcere malum, vt nõ ſolùm nobilium Romanorum ipſis videlicet adverſantium, ſed & Cardinalium diruerentur domus & ſplendida palatia; verùm etiam de Cardinalibus reverendæ perſonæ inhoneſtè ſauciatis quibusdam, à furenti plebe tractarentur. *Ita Ottho de Arnaldo. Sed haud erit ingratum eadem de beſtia iſta canentem audire Guntherum Ligurinum Poëtam eiusdem temporis ſcriptorem eximium iſtis verſibus:*

Ligur. Poeta in Friderico lib. 3.

Aſt vbi de medio ſublato Præſule ſummo
Eugenius ſacræ ſuſcepit jura Cathredræ:
Ille Petri ſolidam cupiens convellere petram,
Vt caput infirmum per cætera membra dolorem
Diffundit, Romana petit temerarius auſu
Mœnia ſacrilego, totamque nefarius Vrbem
Inficit, impuri corruptam ſemine verbi:
Et populi tantas in Clerum ſuſcitat iras,
Vt penitùs nullum ſummo deferret honorem
Pontifici, Clerumque odio vexaret iniquo.
Et ſi quis, cui mens æqua & reverentior eſſet
Et meliora pio flagrarent viſcera voto,
Fortè refragari ſeu diſſuadere furorem
Auſus erat, ſe ſeque novis opponere monſtris:
Omnibus ereptis, ſubverſâ funditus æde,
Corporis afflictu, ſeu tandem ſanguine fuſo
Clericus, aut etiam popularis facta luebat.
Quin etiam Titulos Vrbis renovare vetuſtos,
Patricios recreare viros, priſcosque Quirites,
Nomine plebeio ſecernere nomen Equeſtre,
Jura tribunorum, ſanctum reparare Senatum,
Et ſenio feſſas mutasque reponere leges,
Lapſa ruinoſis, & adhuc pendentia muris
Reddere primævo Capitolia priſca nitori.
Conſilijs armisque ſuæ moderamina ſummæ
Arbitrio tractare ſuo. Nil juris in hac re
Pontifici ſummo, modicùm concedere Regi
Suadebat populo. Sic læſa ſtultus vterque
Majeſtate reum geminæ ſe fecerat aulæ.

Hactenùs Ligurinus.

Conſtat igitur horum duorum auctorum, qui ea ætate vixêre, teſtimonio Romanos Arnaldi dementia depravatos, non

ſolùm in S. R. E. Cardinales, ſed etiam in complures ex nobilioribus Romanorum familijs, qui pro Eccleſia ac Pontifice rem agebant, eâdem inſaniâ ac furore debachatos eſſe. Hos autem fuiſſe Frangipanes ac Perleones intelliges ex ipſorum delirantium hæreticorum litteris, qui vt ſe excuſarent & ad ſe favorem allicerent Chriſtianorum Principum, potiſſimùm verò Regis Romanorum Conradi; hæc ſe ipſius nomine facere, hæc pro ipſo laborare, epiſtola ad eum miſſa ſignificaverunt, quam recitat Ottho Friſingenſis graviſſimus auctor in Friderico; qui antequàm eam deſcribat, hæc præmittit.

Frangipanes & Perleones defendunt Eccleſiam Romanam.

Ottho Friſing. de geſtis Friderici lib. 1. cap 27. & 28. Libr. 2. cap. 20.

His diebus, (*nempè, vt alibi declarat, circà principia Pontificatûs Eugenij,*) Arnaldus quidam religionis habitum habens, ſed eum minimè (vt ex doctrina eius patuit) ſervans, ex Eccleſiaſtici honoris invidia Vrbem Romam ingreditur, ac Senatoriam dignitatem, Equeſtremque Ordinem renovare ad inſtar antiquorum volens, totam penè Vrbem, ac præcipuè populum adversùs Pontificem ſuum concitavit. Vndè ad eorundem temeritatis, vel potiùs fatuitatis corroborationem ab eis ad Principem deſtinatum tale reſcriptum invenitur.

Excellentiſſimo atque præclaro Vrbis & Orbis totius Domino Conrado DEI gratiâ Romanorum Regi ſemper Auguſto, Senatus Populuſque Romanus ſalutem, & Romani Imperij felicem & inclytam gubernationem.

Romanorũ Arnaldiſtarum epiſtola ad Conradũ Regem Romanorum.

Regali Excellentiæ per plurima jam ſcripta, noſtra facta & negotia diligenter expoſuimus, & quomodò in veſtra fidelitate permaneamus, ac pro veſtra Imperiali corona exaltanda & omnimodò augenda quotidiè decertamus. Ad quæ, quia regalis induſtria (vt poſtulauimus) reſcribere dignata non fuit, ſatis miramur. Nos enim quidquid agimus, pro veſtra fidelitate & honore facimus. Et quidem regnum & Imperium Romanorum veſtro à DEO regimini conceſſum exaltare atque amplificare cupientes in eum ſtatum, quo fuit tempore Conſtantini & Juſtiniani, qui totum orbem vigore Senatûs, & Populi Romani ſuis tenuere manibus, reducere, Senatu pro his omnibus DEI gratiâ reſtituto, & eis qui veſtro Imperio ſemper rebelles erant, quique tantum honorem Romano Imperio ſurripuerant, magna ex parte conculcatis, quatenùs ea quæ Cæſari & Imperio debentur, per omnia & in omnibus obtineatis, vehementer atque vnanimiter ſatagimus atque ſtudemus. *Et ob* huius rei effectum, bonum principium ac fundamentum *fecimus. Nam* pacem & juſtitiam omnibus eam volentibus obſervamus, *fortitudi*nes, id eſt, turres & domos potentum Vrbis, qui veſtro *Imperio vnà cum* Siculo & Papa reſiſtere parabant, cepimus, & *quaſdam in veſtra fideli*tate tenemus, quaſdam verò ſubve[illegible] *coæquavimus. Sed pro* his omnibus, quæ veſtræ dilectio[illegible] *imus, Papa, Frangipa-*

 nes,

nes, & filij Petri Leonis homines & amici Siculi, excepto Jordane noſtro fidelitate in veſtra vexillifero & adjutore, Ptolomæus quoq; & alij plures vndique nos impugnant, ne liberè (vt decet) Imperialem regio capiti valeamus imponere coronam. At nos quoniam amanti nullus labor gravis eſt, licet inde plurima damna ſuſtineamus; pro veſtro amore & honore gratanter patimur. Scimus namque nos à vobis proindè præmium ſicut à patre, accepturos; vosque in eos, ſicut in Imperij hoſtes vindictam daturos.

Vidiſti (compello te Lector) armatam & palliatam Imperij reſtituendi prætextu populi furentis avaritiam inhiantem ſacris vectigalibus ac fortunis Civium optimorum? Vidiſti gentem immitem, vt verbis Divi Bernardi vtar, & intractabilem, paci inſuetam, tumultui aſſuetam excuſſo Romani Pontificis jugo, Conſtantini ſæculum contrà Conſtantini Leges & inſtitutum æmulari? Vidiſti contempta Pontificia auctoritate novum pro libitu Senatum lectum, novam Patriciatûs dignitatem conſtitutam, turres & domos potentum Vrbis, qui ſe pro Pontifice atque Eccleſiaſtica libertate murum oppoſuerant, partim captas, partim direptas ac ſolo æquatas? An non gravis & magna hæc ſeditio fuit? Sed qui præcipuè hiſce nefarijs populi furentis conatibus ſeſe objecerunt Frangipanes, vt audiſti & Perleones fuère, excepto, vt inquiunt Jordane, qui fuit vnus de filijs Petri Leonis Maximi, quem Arnaldiſtæ Romani ad novam Patricij Magiſtratûs dignitatem extulerunt, vt ſuprà ex litteris Lucij Papæ retulimus.

Lib 4. de Conſiderat cap. 2.

Jordanes filius Petri Leonis.

Itaque ſolo Jordane excepto, cæteri omnes Perleones, Eccleſiæ & Pontificis partes ſunt tutati, quorum hic recenſere nomina, prout in antiquis monumentis circà hæc tempora erectis conſignata reperiuntur, non abs re fore putamus, cùm vt manifeſtum evadat, non omnes Romanos Arnaldi inſaniâ percitos ac furore agitatos fuiſſe, ſed plures eorundem & maximè nobiliores, licet à côcivibus plurima paterentur, ab Eccleſia tamen nullatenùs deſciviſſe; tum quia dignum eſt, ſacrisq; litteris conſentaneum, vt qui pro fide & Eccleſia CHRISTI *immenſos exantlarunt labores, perſeverantiæ laude & gloria*

Omnes Perleones, excepto vnico Jordane, ſtant pro Eccleſia Romana.

Confeſ-

Confeſſionis illuſtres, eorum nomina ſempiterna memoria ad poſteritatem transmittantur.

Quod autem in eadem epiſtola nulla de ipſo Petro Leonis mentio fiat, ſed duntaxat de filijs eiusdem, quem tamen conſtat haud pridem publicis monumentis ſubſcripſiſſe: conijci ſatis poteſt, eum ante hos dies ex hac vita migraſſe; de cuius ſepultura & Epitaphio agemus libro ſeptimo. An verò item frater eiusdem Rogerius, hoc tempore ſuperſtes fuerit, qui ante decem & quinque annos privilegio ſubſcripſit, quod Anacletus Pſeudopapa Rogerio Duci Apuliæ de regio titulo Beneventi impertijt, mihi eſt incompertum. Reperitur in eodem diplomate ſubſcriptus alius Petrus Leonis dictus de Fundis; qui an ex Perleonia ſtirpe fuerit, & cuius Leonis filius, equidem ignoro. Cæterùm inter Petri Leonis filios, quos ſibi adverſarios Arnaldiſtæ Romani ſunt experti, maximus natu fuit Leo Maximus Pater duorum Perleonum, qui in Germaniam commigrârunt, vt patet ex ſubſcriptione eiusdem in publico inſtrumento, quod ex archivo Monaſterij S. Gregorij in Vrbe extractum, edidit Arnoldus Wion. Habuit verò idem Leo præter Jordanem Romanorum Arnaldiſtarum anteſignanum, fratres alios Centium & Guidonem, qui vnâ cum ipſo in eodem inſtrumento ſubſcripti leguntur, Anno DOMINI M. C. XXXIX. *Gratiani autem & Hugonis vt legit Petrus Diaconus, ſeu Vizonis, vt legit Dodechinus, ſeu Obicionis, vt habet inſtrumentum Cameræ Apoſtolicæ, filiorum ſuorum ipſe meminit Petrus Leonis, in juramento Henrico Romanorum Regi præſtito, pro parte Paſchalis Papæ, illis verbis:* Obſides dabo, aut per me, aut per nuntios meos, Gratianum filium meum & filium Hugonis filij mei, vel filiũ ſororis meæ ſi eum habere potero &c. *Joannis etiam filij Petri Leonis mentio habetur in antiquo inſtrumento Cameræ Apoſtolicæ inferiùs deſcribendo. Et hi filij magni illius Petri Leonis fuêre, qui omnes, vt audiſti, ſolo Jordane excepto, partes Eccleſiæ cum maxima ædium rerúmque ſuarum jactura, ſummóque vitæ diſcrimine, pariter defenderunt. A cujus gloriæ & laudis conſortio haud eximendos putamus*

An circà hæc tempora Petrus Leonis vixerit?

Rogerius frater Petri Leonis.

Petrus Leonis de Fundis.

Filij Petri Leonis.

Leo Maximus major natu.

Iordanes.

Centius & Guido

Gratianus.

Obicio.

Petrus Diacon. chron. Caſſ lib. 4. cap. 39.

Ioannes.

mus eorundem filios, Petri Leonis nepotes, qui hac tempeſtate vixêre, & quorum plerique in iiſdem ſuprà memoratis inſtrumentis ſubſcripti reperiuntur: ex quorum numero fuêre Albertus & Rudolphus, Petrus, Obicio, Stephanus, & Leo filij Leonis Maximi Petri de Leone; Petrus & Gratianus filij Obicionis Petri de Leone: item Hugo filius Petri Leonis, Petri de Leone. Sed ad Romanorum Arnaldiſtarum Epiſtolam, à qua digreſſi ſumus, revertamur. Sic enim pergunt:

Albertus. Rudolphus. Petrus. Obicio. Stephanus. Leo. Petrus. Gratianus. Hugo.

Cùm tanta igitur noſtra in vos fidelitas ſit, tantaque pro vobis ſuſtineamus; precamur, ne ſpes iſta nobis deficiat, ne regia dignitas nos veſtros fideles & filios deſpiciat. Neque, ſi in regalibus auribus aura ſiniſtra de Senatu & nobis flaverit, in eam intendat aut reſpiciat; quia qui de nobis veſtræ Altitudini mala ſuggerunt, de veſtra & noſtra, quod abſit, diſſenſione lætari volunt, & vtroſque, vt ſoliti ſunt, callidè opprimere moliuntur. Sed circà hæc, ne fiant, regalis prudentia, vt decet, ſollicita ſit & provida, reminiſcatúrque veſtra ſolertia, quot & quanta mala Papalis Curia, & dicti quondam Cives noſtri Imperatoribus, qui fuerunt ante vos, fecerint; & nunc deteriora vobis cum Siculo facere tentaverunt: ſed nos CHRISTI gratiâ, in veſtra fidelitate viriliter eis reſiſtimus, ac plures ex illis ab Vrbe, ſicut peſſimos hoſtes Imperij, vt ſunt, pepulimus.

Tempus & cauſa migrationis Perleonum ex Vrbe. Perleonum continuum erga Romanam Sedem ſtudium.

En tempus, en cauſa Perleonum ex Vrbe in Germaniam migrationis. Quos enim alios per dictos Cives, quos Imperatoribus multa mala intuliſſe calumniantur, intelligunt; quàm Perleones, qui ſemper pro Eccleſia & pro veris CHRISTI *Vicarijs contra Tyrannos ſteterunt. Nam, vt à Leone patre Petri Leonis ordiamur, quòd is ſemper partes foverit Pontificias, contra Schiſmaticum Imperatorem Henricum, ſatis ſignificat Alphanus Archiepiſcopus Salernitanus in eius Epitaphio, illis verſiculis:*

Alphanus Archiepiſcopus Salernitanus. Ex Caſsinenſi Bibliotheca Baronius Tom. 12.

Hoc jacet in tumulo Leo vir per cuncta fidelis
Sedis Apoſtolicæ, tempore quo viguit.

Quod deindè ferventiſſimum erga ſacroſanctam Sedem Apoſtolicam ſtudium, à patre tanquam hæreditate acceptum, filius eius Petrus ad poſteros propagavit. Nam ab hoc Petro Leonis Vrbanum II. Pontificem hoſpitio ſemper exceptum, cùm ſummis premeretur anguſtijs, defenſúmq; in inſula Tiberina inter duos pontes, Vaticanus codex habet, in cuius etiam

Citat eum Baronius Tom. 12. Anno Chriſti 1099.

ædibus

ædibus apud S. Nicolaum in carcere Tulliano poſitis, idem vltimum ſpiritum DEO *reddidit. Jam verò quantum idem Petrus Leonis laboraverit pro Paſchale II. Papa contra Henricum IV. Imp. egregiè prodit Petrus Diaconus, qui etiam ipſa verba Petri Leonis, quæ in componenda pace inter Pontificem & Regem fecit, refert hoc modo:*

Petri Leonis ſtudium pro Paſchale Secundò Papa.

Si Dominus Papa hoc Regi non adimpleverit, ego Petrus Leonis cum tota præſentia & potentia mea, tenebo me ad Regem; obſides autem niſi effugient, reddemus die altero poſt Coronationem Regis. Si per Papam remanſerit, vt non coronetur, ſimiliter reddemus die Dominico, cùm Dominus Rex ad proceſſionem receptus fuerit. Obſides dabo aut per me aut per nuncios meos, Gratianum filium meum, & filium Hugonis filij mei, vel filium ſororis meæ, ſi eum habere potuero (niſi per Regem remanſerit) pro ſecuritate Regis, vt ſecurè tranſeat Caſtellum & pontem.

Petrus Diaconus in Chronico Caſinenſi lib. 4. cap. 38. & 39.

Subdit deindè Petrus Diaconus ipſum juramentum Petri Leonis factum Imperatori Henrico ex parte D. Paſchalis Papæ II. quod nos alibi data occaſione deſcribemus. Neque ſolùm ipſum Petrum Leonis, ſed & filios eiusdem, cauſam Pontificis egiſſe ex ipſo Henrici juramento ſit manifeſtum, quod hîc deſcribendum putamus, vt ex eo intelligatur, quantæ ſemper auctoritatis & exiſtimationis Perleones, cùm apud ſummos Pontifices, tum apud Imperatores fuerint. Eſt verò huiusmodi:

Filij quoque Petri Leonis ſtant pro Paſchale ſecundo PP.

Ego Henricus Rex ab hac hora inanteà non ero in facto aut conſilio, vt Dominus Paſchalis Papa II. perdat Papatum, vel vitam, vel membra, aut capiatur mala captione, vel per me, vel per ſubmiſſam perſonam: nec ipſi, nec fidelibus ſuis, qui pro ipſo mihi ſecuritatem fecerunt, vel fecerint, id eſt Petro Leonis cum filijs ſuis & Godefredo nocebo, quorum bonis ſtudioſè non potiemur, vel alijs quos Dominus Papa mihi ſignificaverit. Et ſi quid Dominus Papa fecerit eis, ego eos fideliter adjuvabo &c.

Extat apud eundem Petrum Diaconum vbi ſuprà.

Porrò quomodò ijdem Perleones ſe pro Gelaſio II. contrà Frangipanes conſanguineos ſuos oppoſuerint, eundémque Pontificem è manibus Centij Frangipanis eripuerint, exactè Pandulphus Subdiaconus harum rerum inſpector deſcribit.

Perleonum ſtudium pro Gelaſio Secundo PP. *Apud Baronium Tom 12.*

In Schiſmate etiam illo inter Innocentium II. & Anacletum orto, Petrum Leonis Petro Pſeudo Pontifici, qui Anacletus dictus erat, non diu adhæſiſſe, illud fidem facit, quòd is vnà cum Theobaldo Præfecto Vrbis, Innocentio Papæ cum Lothario Imperatore Romam venienti, obviam proceſſiſſe legatur.

In actis Innocentij II. ex Vaticana Bibliotheca.

Epiſtola 320.

gatur. Filios quoque ipſius poſt mortem Anacleti ſtatim Innocentio reconciliatos fuiſſe S. Bernardus ſignificat, dum ait: In Octavis Pentecoſtes ipſa die complevit DEVS deſiderium noſtrum, Eccleſiæ vnitatem, & Vrbi dando pacem. Nam illa die filij Petri Leonis omnes ſimul humiliaverunt ſe ad pedes Domini Papæ, & facti homines eius ligij, juraverunt ei ligiam fidelitatem. *Reducti igitur Perleones in gratiam cum Innocentio, ei ſtrenuam operam navârunt, cùm contrà Tiburtinos, qui ſolenne ipſi obſequium præſtare detrectabant, tùm contrà Arnaldiſtas Romanos. Contrà quos etiam quanto ſtudio & animi ardore, quanta rerum ſuarum jactura & vitæ incommodis pro Lucio II. & Eugenio III. Pontificibus Romanis ſteterint, ex hac quam præ manibus habemus, Epiſtola liquet. Demùm eoſdem quoque vnà cum Frangipanibus Alexandro III. contra Fridericum Imp. auxilio fuiſſe, acta ipſius Alexandri in Vaticana Bibliotheca teſtantur, in quibus inter cætera hæc leguntur:*

Perleones pugnant pro Innocentio Secundo.

Perleones ſtant pro Lucio Secundo & Eugenio Tertio.

Ijdem adhærent Alexandro III. contrà Fridericum Imperatorem.

Papa Alexander cum Cardinalibus & familijs eorum, relicto Palatio Lateranenſi, deſcendit ad tutas domos Frangipanum, & apud S. Mariam Novam & Caſtellariam & Colloſſeum, ſe cum eis recepit. In quibus diebus Rex Siciliæ audiens hoc, miſit ad Papam Alexandrum III. duas galeas cum multa pecunia. De qua pecunia ſuſcepta, partem dedit Frangipanibus fidelibus Eccleſiæ, & filijs Petri Leonis, vt ſtrictiùs obligati ad invicem ſe fortiùs adjuvarent.

Vidésne igitur, amice Lector, vt ſemper Perleones in defendenda Eccleſia Romana ſint verſati? quod profectò non eſt adverſari Imperio, vt Arnaldiſtæ calumniantur Romani, ſed potiùs illud ſtabilire. Non enim audiendi ſunt, vt S. ait Bernardus, qui dicunt, vel Imperio pacem & libertatem Eccleſiarum, vel Eccleſijs proſperitatem & exaltationem Imperij nocituram. Quod ſanè magiſtrali ipſe edocuit Epiſtola, ſcribens ad Conradũ Imp. contra eoſdem Arnaldiſtas Romanos: quam hîc deſcribere, vitandæ prolixitatis cauſa, ſuperſedemus.

Epiſtola 243.

Quare vt eò, vnde digreſſi ſumus, revertamur, cùm ex his ſtrenuis pro Eccleſia Romana pugilibus plures ab Arnaldiſtis Romanis Vrbe ſint pulſi, vt ipſi ſuis litteris profitentur: cúmq; ex ſtirpe Perleonia nullum aliud germẽ tranſplantatum poſſit reperiri, præter Habsburgium; neceſſe eſt vt fateamur eius-

dem Habsburgici germinis auctores, hoc tempore & ob defenſionem Eccleſiæ Romanæ, eiusdémque Pontificis Maximi Eugenij III. Vrbe coactos fuiſſe excedere. Sed quid prædictis ſubjũgant ijdem Arnaldiſtæ Romani, audiamus, hæc enim ſubdunt. Appropinquet igitur nobis Imperialis celeriter vigor; quoniam quicquid vultis in Vrbe obtinere poteritis: & vt breviter ac ſuccinctè loquamur, potenter in Vrbe quæ caput mundi eſt, vt optamus habitare; toti Italiæ & regno Teuthonico, omni Clericorum remotò obſtaculo, liberiùs & meliùs, quàm omnes ferè anteceſſores veſtri, dominari valebitis. Sine morâ ergo precamur, vt veniatis; & interim de ſtatu veſtro, quem ſemper deſideramus ſalubrem, de his regalibus litteris & nuntijs nos lætificare dignemini. Sumus enim per omnia veſtræ voluntati ſemper obtemperare parati. Sciatis prætereà, quia pontem Milvium extra Vrbem parùm longè, per tempora multa pro Imperatorum contrario deſtructum, nos, vt exercitus veſter per eum tranſire queat, ne Petri Leones per Caſtellum S. Angeli nobis nocere poſſint, vt ſtatuerunt cùm Papa & Siculo, magno conamine reſtauramus, & in parvi temporis ſpatio muro fortiſſimo & ſilicibus juvante DEO complebitur.

Petri Leones Caſtellum S. Angeli tenuerunt.

Tenuerunt Caſtellum S. Angeli Perleones jam ſub Paſchale Papa. Vnde Petrus Leonis, vt ſupra vidimus, coactus eſt dare obſides, vt Henricus Imperator ſecurè tranſiret Caſtellum & pontem. Ad eosdem in idem Caſtellum, altero ab hoc anno Eugenius à Lateranenſi palatio confugit, ad evitandum populi inſanientis furorem. Videntur autem illud in bonis accepiſſe ab Vrbano II. cùm illud à Guibertinis recuperavit, cui Petrus Leonis contra eosdem Guibertinos ſtrenuam ſemper navârat operam. Jam quæ in ijsdem litteris ſequuntur ſtabilita inter Regem Siciliæ Rogerium & Romanum Pontificem pacta, non ab Eugenio ſed à Lucio inita fuère, quæ ſic deſcribunt: Concordiam autem inter Siculum & Papam huiusmodi eſſe accepimus. Papa conceſſit Siculo virgam & annulum, dalmaticam & mitràm, atque ſandalia. Et ne vllum mittat in terram ſuam legatum, niſi quem Siculus petierit. Et Siculus dedit ei multam pecuniam, pro detrimento veſtro & Romani Imperij, quod DEI gratiâ veſtrum exiſtit. Hæc omnia ſollicitè veſtra animadvertat optime Rex prudentia. *Salutationem autem ſequenti pentaſticho impertiunt:*

Rex valeat, quidquid cupit obtineat, ſuper hoſtes
Imperium teneat, Romæ ſedeat, regat orbem
Princeps terrarum, ceu fecit Juſtinianus.
Cæſaris accipiat Cæſar, quæ ſunt ſua Præſul,
Vt CHRISTVS juſſit. Petro ſolvente tributum.

CAPVT IX.

Quam ob cauſam dicti duo fratres Perleones patrium vertere ſolum ſint coacti.

ETſi igitur ex ijs, quæ ſuperiori capite attulimus, ſatis perſpicuum eſſe poſſit, quam potiſſimùm ob cauſam duo fratres Perleones filij Leonis Maximi Vrbem relinquere ac in Germaniam migrare ſunt coacti: quia tamen Lazius Volaterranum ac alios carpit, quòd avitam Sereniſſimæ Auſtriæ Domûs originem ab homine exule deriuent, exilij eiusdem cauſam accuratè, & ex inſtituto perſequi non abs re fore duxi, cùm vt Lazianæ ſectæ homines intelligant, ex huiusmodi exilio nullam non modò ignominiæ labem, ſed maximum ſplendorem, & ſempiternam laudem in Habsburgiam Auſtriam familiam redundare; tum vt vniuerſi perſpiciant, hanc ſublimem Auſtriacorum prærogativam, quâ omnes noſtri temporis Heroas antecellunt, & illam eorundem ſtupendam Imperij amplitudinem, ſingulare præmium ac munus eſſe à DEO *collatum, quo pios à progenitoribus ipſorum pro* CHRISTI *Eccleſia, eiúſque in terris Vicariis ſuſceptos immenſos labores, ac obita in ſummo rerum diſcrimine pericula, in eorundem poſteris cumulatiſſimè remuneratur.*

Lib. 1. Comment. Auſtriacæ familiæ cap. 1.

Sed primum libet demirari Lazij fatuitatem, eíque illud Satyricum obtrudere:

Quum tua pervidias oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum?

Hor. lib. 1. ſerm. Satyr 3.

Quæ enim (malùm) hæc aut animi immemoris hebetudo, aut perfrictæ frontis impudentia, illud alteri vitio vertere, in

quo ipſe maximè vitioſus deprehendaris? nos quidem vt cenſet ille, grande peccatum & morte piandum committimus, cùm tam ſplendidum Auſtriadum genus ab homine exule derivamus; at ipſe cùm illud ipſum non tantùm ab homine exule, ſed etiam ſpurio dedicat, magnam tamen gratiam ſe iniiſſe à Principibus Auſtriacis arbitratur. Nam Sigebertum ſuum, per quem tanquam per fiſtulam quandam Regium Francorum ſanguinem ad Habsburgios derivare conatur, ſemper & vbique exulem vocat, eúmque non ſolùm, ſed etiam patrem eius Theodebertum legitimo natalium honore ſpoliat: quod tamen de Theodeberto falſum eſſe ſuprà ex Belforeſtio annotavimus. Videant igitur ij, qui eius commentis legendis delectantur, quo modò hanc tam deformem maculam clariſſimæ integerrimæq; Domui per illum affictam aliquo honeſtatis fuco oblineant: nos quidem nullo negotio ex ipſa duntaxat rei geſtæ veritate oſtendemus, Habsburgios Auſtrios Perleonum poſteros ex progenitorum ſuorum exilio, omni triumpho, ornamento omni honoris, monumento gloriæ, laudis inſignibus, majorem excellentiorémque ſplendorem ac decus, conſecutos eſſe.

Igitur vt hinc ordiamur, præter implacabile Romanorum in Tiburtinos odium verſum in Pontificem Maximum, ad inflammandam penitùs jam motæ ſeditionis materiam tanquam fax quædam acceſſit Arnaldus de Brixia, qui ſub Innocẽtio II. in Concilio Lateranenſi hæreſeos damnatus, hactenus in Helvetiæ partibus tanquam anguis in herba latuerat: ſed defuncto Lucio Papa, jamque in locum eius ſubrogato Eugenio III. Viterbij reſidente, ipſe peſtiferum caput altius exerens Vrbem ingreſſus, nefarijs ſuis declamationibus ſeditioſi populi furijs faces planè ardentes miniſtravit: qua de re audi Otthonem Friſingenſem eius temporis ſcriptorem, qui ait:

Circà Principia Pontificatûs Eugenij peſtifer Arnaldus Vrbem ingreſſus, cùm eam contra Pontificem illum in ſeditionem excitatam inveniſſet, viri ſapientis haud ſectatus conſilium, de huiuſmodi dicentis: Ne in eius ignem ligna ſtruas; ampliùs eam in ſeditionem excitavit, proponens antiquorum Romanorum exempla, qui ex Senatûs maturitatis conſulto, & ex juvenum animorum fortitudinis ordine, & integritate, totum or- *(Arnaldus de Brixia incentor ſeditionis Romanæ.)*

Ottho de rebus Friderici lib. 2. cap. 20.

bem terræ ſuum fecerint. Quare reædificandum Capitolium, renovandam dignitatem Senatoriam, reformandum Equeſtrem ordinem docuit. Nihil in diſpoſitione Vrbis ad Romanum ſpectare Pontificem: ſufficere ſibi Eccleſiaſticū judicium habere. In tantùm verò huius venenoſæ doctrinæ cœpit invaleſcere malum, vt nō ſolùm nobilium Romanorum ipſis videlicet adverſantium, ſed & Cardinalium diruerentur domus & ſplendida palatia; verùm etiam de Cardinalibus reverendæ perſonæ inhoneſtè ſauciatis quibusdam, à furenti plebe tractarentur. *Ita Ottho de Arnaldo. Sed haud erit ingratum eadem de beſtia iſta canentem audire Guntherum Ligurinum Poëtam eiusdem temporis ſcriptorem eximium iſtis verſibus:*

Ligur. Poeta in Friderico lib. 3.

Aſt vbi de medio ſublato Præſule ſummo
Eugenius ſacræ ſuſcepit jura Cathredræ:
Ille Petri ſolidam cupiens convellere petram,
Vt caput infirmum per cætera membra dolorem
Diffundit, Romana petit temerarius auſu
Mœnia ſacrilego, totamque nefarius Vrbem
Inficit, impuri corruptam ſemine verbi:
Et populi tantas in Clerum ſuſcitat iras,
Vt penitùs nullum ſummo deferret honorem
Pontifici, Clerumque odio vexaret iniquo.
Et ſi quis, cui mens æqua & reverentior eſſet
Et meliora pio flagrarent viſcera voto,
Fortè refragari ſeu diſſuadere furorem
Auſus erat, ſe ſeque novis opponere monſtris:
Omnibus ereptis, ſubversâ funditus æde,
Corporis afflictu, ſeu tandem ſanguine fuſo
Clericus, aut etiam popularis facta luebat.
Quin etiam Titulos Vrbis renovare vetuſtos,
Patricios recreare viros, priſcosque Quirites,
Nomine plebeio ſecernere nomen Equeſtre,
Jura tribunorum, ſanctum reparare Senatum,
Et ſenio feſſas mutasque reponere leges,
Lapſa ruinoſis, & adhuc pendentia muris
Reddere primævo Capitolia priſca nitori.
Conſilijs armisque ſuæ moderamina ſummæ
Arbitrio tractare ſuo. Nil juris in hac re
Pontifici ſummo, modicùm concedere Regi
Suadebat populo. Sic læſa ſtultus vterque
Majeſtate reum geminæ ſe fecerat aulæ.

Hactenùs Ligurinus.

Conſtat igitur horum duorum auctorum, qui ea ætate vixêre, teſtimonio Romanos Arnaldi dementia depravatos, non

ſolùm

ſolùm in S. R. E. Cardinales, ſed etiam in complures ex nobilioribus Romanorum familijs, qui pro Eccleſia ac Pontifice rem agebant, eâdem inſaniâ ac furore debachatos eſſe. Hos autem fuiſſe Frangipanes ac Perleones intelliges ex ipſorum delirantium hæreticorum litteris, qui vt ſe excuſarent & ad ſe favorem allicerent Chriſtianorum Principum, potiſſimùm verò Regis Romanorum Conradi; hæc ſe ipſius nomine facere, hæc pro ipſo laborare, epiſtola ad eum miſſa ſignificaverunt, quam recitat Ottho Friſingenſis graviſſimus auctor in Friderico; qui antequàm eam deſcribat, hæc præmittit.

Frangipanes & Perleones defendunt Eccleſiam Romanam.

Ottho Friſing. de geſtu Friderici lib. 1. cap 27. & 28.

Libr. 2. cap. 20.

His diebus, (*nempè, vt alibi declarat, circà principia Pontificatûs Eugenij,*) Arnaldus quidam religionis habitum habens, ſed eum minimè (vt ex doctrina eius patuit) ſervans, ex Eccleſiaſtici honoris invidia Vrbem Romam ingreditur, ac Senatoriam dignitatem, Equeſtremque Ordinem renovare ad inſtar antiquorum volens, totam penè Vrbem, ac præcipuè populum adversùs Pontificem ſuum concitavit. Vndè ad eorundem temeritatis, vel potiùs fatuitatis corroborationem ab eis ad Principem deſtinatum tale reſcriptum invenitur.

Excellentiſſimo atque præclaro Vrbis & Orbis totius Domino Conrado DEI gratiâ Romanorum Regi ſemper Auguſto, Senatus Populusque Romanus ſalutem, & Romani Imperij felicem & inclytam gubernationem.

Romanorũ Arnaldiſtarum epiſtola ad Conradũ Regem Romanorum.

Regali Excellentiæ per plurima jam ſcripta, noſtra facta & negotia diligenter expoſuimus, & quomodò in veſtra fidelitate permaneamus, ac pro veſtra Imperiali corona exaltanda & omnimodò augenda quotidiè decertamus. Ad quæ, quia regalis induſtria (vt poſtulauimus) reſcribere dignata non fuit, ſatis miramur. Nos enim quidquid agimus, pro veſtra fidelitate & honore facimus. Et quidem regnum & Imperium Romanorum veſtro à DEO regimini conceſſum exaltare atque amplificare cupientes in eum ſtatum, quo fuit tempore Conſtantini & Juſtiniani, qui totum orbem vigore Senatûs, & Populi Romani ſuis tenuere manibus, reducere, Senatu pro his omnibus DEI gratiâ reſtituto, & eis qui veſtro Imperio ſemper rebelles erant, quique tantum honorem Romano Imperio ſurripuerant, magna ex parte conculcatis, quatenùs ea quæ Cæſari & Imperio debentur, per omnia & in omnibus obtineatis, vehementer atque vnanimiter ſatagimus atque ſtudemus. Et ob huius rei effectum, bonum principium ac fundamentum fecimus. Nam pacem & juſtitiam omnibus eam volentibus obſervamus, fortitudines, id eſt, turres & domos potentum Vrbis, qui veſtro Imperio vnà cum Siculo & Papa reſiſtere parabant, cepimus, & quaſdam in veſtra fidelitate tenemus, quaſdam verò ſubvertentes ſolo coæquavimus. Sed pro his omnibus, quæ veſtræ dilectionis fidelitate facimus, Papa, Frangipa-

nes, & filij Petri Leonis homines & amici Siculi, excepto Jordane noſtro fidelitate in veſtra vexillifero & adjutore, Ptolomæus quoq; & alij plures vndique nos impugnant, ne liberè (vt decet) Imperialem regio capiti valeamus imponere coronam. At nos quoniam amanti nullus labor gravis eſt, licet inde plurima damna ſuſtineamus; pro veſtro amore & honore gratanter patimur. Scimus namque nos à vobis proindè præmium ſicut à patre, accepturos; voſque in eos, ſicut in Imperij hoſtes vindictam daturos.

Vidiſti (compello te Lector) armatam & palliatam Imperij reſtituendi prætextu populi furentis avaritiam inhiantem ſacris vectigalibus ac fortunis Civium optimorum? Vidiſti gentem immitem, vt verbis Divi Bernardi vtar, & intractabilem, paci inſuetam, tumultui aſſuetam excuſſo Romani Pontificis jugo, Conſtantini ſæculum contrà Conſtantini Leges & inſtitutum æmulari? Vidiſti contempta Pontificia auctoritate novum pro libitu Senatum lectum, novam Patriciatûs dignitatem conſtitutam, turres & domos potentum Vrbis, qui ſe pro Pontifice atque Eccleſiaſtica libertate murum oppoſuerant, partim captas, partim direptas ac ſolo æquatas? An non gravis & magna hæc ſeditio fuit? Sed qui præcipuè hiſce nefarijs populi furentis conatibus ſeſe objecerunt Frangipanes, vt audiſti & Perleones fuère, excepto, vt inquiunt Jordane, qui fuit vnus de filijs Petri Leonis Maximi, quem Arnaldiſtæ Romani ad novam Patricij Magiſtratûs dignitatem extulerunt, vt ſuprà ex litteris Lucij Papæ retulimus.

Lib 4. de Conſiderat cap. 2.

Jordanes filius Petri Leonis.

Itaque ſolo Jordane excepto, cæteri omnes Perleones, Eccleſiæ & Pontificis partes ſunt tutati, quorum hìc recenſere nomina, prout in antiquis monumentis circà hæc tempora erectis conſignata reperiuntur, non abs re fore putamus, cùm vt manifeſtum evadat, non omnes Romanos Arnaldi inſaniâ percitos ac furore agitatos fuiſſe, ſed plures eorundem & maximè nobiliores, licet à cōcivibus plurima paterentur, ab Eccleſia tamen nullatenùs deſciviſſe: tum quia dignum eſt, ſacriſq; litteris conſentaneum, vt qui pro fide & Eccleſia CHRISTI *immenſos exantlarunt labores, perſeverantiæ laude & gloria*

Omnes Perleones, excepto vnico Jordane, ſtant pro Eccleſia Romana.

Confeſ-

Confeſſionis illuſtres, eorum nomina ſempiterna memoria ad poſteritatem transmittantur.

Quod autem in eadem epiſtola nulla de ipſo Petro Leonis mentio fiat, ſed duntaxat de filijs eiusdem, quem tamen conſtat haud pridem publicis monumentis ſubſcripſiſſe: conijci ſatis poteſt, eum ante hos dies ex hac vita migraſſe; de cuius ſepultura & Epitaphio agemus libro ſeptimo. An verò item frater eiusdem Rogerius, hoc tempore ſuperſtes fuerit, qui ante decem & quinque annos privilegio ſubſcripſit, quod Anacletus Pſeudopapa Rogerio Duci Apuliæ de regio titulo Beneventi impertijt, mihi eſt incompertum. Reperitur in eodem diplomate ſubſcriptus alius Petrus Leonis dictus de Fundis; qui an ex Perleonia ſtirpe fuerit, & cuius Leonis filius, equidem ignoro. Cæterùm inter Petri Leonis filios, quos ſibi adverſarios Arnaldiſtæ Romani ſunt experti, maximus natu fuit Leo Maximus Pater duorum Perleonum, qui in Germaniam commigrârunt, vt patet ex ſubſcriptione eiusdem in publico inſtrumento, quod ex archivo Monaſterij S. Gregorij in Vrbe extractum, edidit Arnoldus Wion. Habuit verò idem Leo præter Jordanem Romanorum Arnaldiſtarum anteſignanum, fratres alios Centium & Guidonem, qui vnâ cum ipſo in eodem inſtrumento ſubſcripti leguntur, Anno DOMINI M. C. XXXIX. *Gratiani autem & Hugonis vt legit Petrus Diaconus, ſeu Vizonis, vt legit Dodechinus, ſeu Obicionis, vt habet inſtrumentum Cameræ Apoſtolicæ, filiorum ſuorum ipſe meminit Petrus Leonis, in juramento Henrico Romanorum Regi præſtito, pro parte Paſchalis Papæ, illis verbis:*
Obſides dabo, aut per me, aut per nuntios meos, Gratianum filium meum & filium Hugonis filij mei, vel filiũ ſororis meæ ſi eum habere potero &c.
Joannis etiam filij Petri Leonis mentio habetur in antiquo inſtrumento Cameræ Apoſtolicæ inferiùs deſcribendo. Et hi filij magni illius Petri Leonis fuêre, qui omnes, vt audiſti, ſolo Jordane excepto, partes Eccleſiæ cum maxima ædium rerúmque ſuarum jactura, ſummóque vitæ diſcrimine, pariter defenderunt. A cujus gloriæ & laudis conſortio haud eximendos puta-

An circà hæc tempora Petrus Leonis vixerit?

Rogerius frater Petri Leonis.

Petrus Leonis de Fundis.

Filij Petri Leonis.

Leo Maximus major natu.

Iordanes.

Centius & Guido

Gratianus.

Obicio.

Petrus Diacon. chron. Caſſ. lib. 4. cap. 39.

Ioannes.

mus eorundem filios, Petri Leonis nepotes, qui hac tempeſtate vixêre, & quorum plerique in iisdem ſuprà memoratis inſtrumentis ſubſcripti reperiuntur: ex quorum numero fuêre Albertus & Rudolphus, Petrus, Obicio, Stephanus, & Leo filij Leonis Maximi Petri de Leone; Petrus & Gratianus filij Obicionis Petri de Leone: item Hugo filius Petri Leonis, Petri de Leone. Sed ad Romanorum Arnaldiſtarum Epiſtolam, à qua digreſſi ſumus, revertamur. Sic enim pergunt:

Albertus. Rudolphus. Petrus. Obicio. Stephanus. Leo. Petrus. Gratianus. Hugo.

Cùm tanta igitur noſtra in vos fidelitas ſit, tantaque pro vobis ſuſtineamus; precamur, ne ſpes iſta nobis deficiat, ne regia dignitas nos veſtros fideles & filios deſpiciat. Neque, ſi in regalibus auribus aura ſiniſtra de Senatu & nobis flaverit, in eam intendat aut reſpiciat; quia qui de nobis veſtræ Altitudini mala ſuggerunt, de veſtra & noſtra, quod abſit, diſſenſione lætari volunt, & vtroſque, vt ſoliti ſunt, callidè opprimere moliuntur. Sed circà hæc, ne fiant, regalis prudentia, vt decet, ſollicita ſit & provida, reminiſcatúrque veſtra ſolertia, quot & quanta mala Papalis Curia, & dicti quondam Cives noſtri Imperatoribus, qui fuerunt ante vos, fecerint; & nunc deteriora vobis cum Siculo facere tentaverunt: ſed nos CHRISTI gratiâ, in veſtra fidelitate viriliter eis reſiſtimus, ac plures ex illis ab Vrbe, ſicut peſſimos hoſtes Imperij, vt ſunt, pepulimus.

Tempus & cauſa migrationis Perleonum ex Vrbe.

En tempus, en cauſa Perleonum ex Vrbe in Germaniam migrationis. Quos enim alios per dictos Cives, quos Imperatoribus multa mala intuliſſe calumniantur, intelligunt; quàm Perleones, qui ſemper pro Eccleſia & pro veris CHRISTI *Vicarijs contra Tyrannos ſteterunt. Nam, vt à Leone patre Petri Leonis ordiamur, quòd is ſemper partes foverit Pontificias, contra Schiſmaticum Imperatorem Henricum, ſatis ſignificat Alphanus Archiepiſcopus Salernitanus in eius Epitaphio, illis verſiculis:*

Perleonum continuum erga Romanam Sedem ſtudium.

Alphanus Archiepiſcopus Salernitanus. Ex Caſinenſi Bibliotheca Baronius Tom. 12.

Hoc jacet in tumulo Leo vir per cuncta fidelis
Sedis Apoſtolicæ, tempore quo viguit.

Quod deindè ferventiſſimum erga ſacroſanctam Sedem Apoſtolicam ſtudium, à patre tanquam hæreditate acceptum, filius eius Petrus ad poſteros propagavit. Nam ab hoc Petro Leonis Vrbanum II. Pontificem hoſpitio ſemper exceptum, cùm ſummis premeretur anguſtijs, defenſumq́; in inſula Tiberina inter duos pontes, Vaticanus codex habet, in cuius etiam

Citat eum Baronius Tom. 12. Anno Christi 1099.

ædibus

ædibus apud S. Nicolaum in carcere Tulliano poſitis, idem vltimum ſpiritum DEO *reddidit. Jam verò quantum idem Petrus Leonis laboraverit pro Paſchale II. Papa contra Henricum IV. Imp. egregiè prodit Petrus Diaconus, qui etiam ipſa verba Petri Leonis, quæ in componenda pace inter Pontificem & Regem fecit, refert hoc modo:*

Petri Leonis ſtudium pro Paſchale Secundò Papa.

Si Dominus Papa hoc Regi non adimpleverit, ego Petrus Leonis cum tota præſentia & potentia mea, tenebo me ad Regem; obſides autem niſi effugient, reddemus die altero poſt Coronationem Regis. Si per Papam remanſerit, vt non coronetur, ſimiliter reddemus die Dominico, cùm Dominus Rex ad proceſſionem receptus fuerit. Obſides dabo aut per me aut per nuncios meos, Gratianum filium meum, & filium Hugonis filij mei, vel filium ſororis meæ, ſi eum habere potuero (niſi per Regem remanſerit) pro ſecuritate Regis, vt ſecurè tranſeat Caſtellum & pontem.

Petrus Diaconus in Chronico Caſinenſi lib. 4. cap. 38. & 39.

Subdit deindè Petrus Diaconus ipſum juramentum Petri Leonis factum Imperatori Henrico ex parte D. Paſchalis Papæ II. quod nos alibi data occaſione deſcribemus. Neque ſolùm ipſum Petrum Leonis, ſed & filios eiusdem, cauſam Pontificis egiſſe ex ipſo Henrici juramento ſit manifeſtum, quod hìc deſcribendum putamus, vt ex eo intelligatur, quantæ ſemper auctoritatis & exiſtimationis Perleones, cùm apud ſummos Pontifices, tum apud Imperatores fuerint. Eſt verò huiusmodi:

Filij quoque Petri Leonis ſtant pro Paſchale ſecundo PP.

Ego Henricus Rex ab hac hora inanteà non ero in facto aut conſilio, vt Dominus Paſchalis Papa II. perdat Papatum, vel vitam, vel membra, aut capiatur mala captione, vel per me, vel per ſubmiſſam perſonam: nec ipſi, nec fidelibus ſuis, qui pro ipſo mihi ſecuritatem fecerunt, vel fecerint, id eſt Petro Leonis cum filijs ſuis & Godefredo nocebo, quorum bonis ſtudioſè non potiemur, vel alijs quos Dominus Papa mihi ſignificaverit. Et ſi quid Dominus Papa fecerit eis, ego eos fideliter adjuvabo &c.

Extat apud eundem Petrum Diaconum vbi ſuprà.

Porrò quomodò ijdem Perleones ſe pro Gelaſio II. contrà Frangipanes conſanguineos ſuos oppoſuerint, eundémque Pontificem è manibus Centij Frangipanis eripuerint, exactè Pandulphus Subdiaconus harum rerum inſpector deſcribit.

Perleonum ſtudium pro Gelaſio Secundo PP. *Apud Baronium Tom 12.*

In Schiſmate etiam illo inter Innocentium II. & Anacletum orto, Petrum Leonis Petro PſeudoPontifici, qui Anacletus dictus erat, non diu adhæſiſſe, illud fidem facit, quòd is vnà cum Theobaldo Præfecto Vrbis, Innocentio Papæ cum Lothario Imperatore Romam venienti, obviam proceſſiſſe le-

In actis Innocentij II. ex Vaticana Bibliotheca.

gatur. Filios quoque ipſius poſt mortem Anacleti ſtatim Innocentio reconciliatos fuiſſe S.Bernardus ſignificat, dum ait:

Epiſtola 320.

In Octavis Pentecoſtes ipſa die complevit DEVS deſiderium noſtrum, Eccleſiæ vnitatem,& Vrbi dando pacem. Nam illa die filij Petri Leonis omnes ſimul humiliaverunt ſe ad pedes Domini Papæ, & facti homines eius ligij,juraverunt ei ligiam fidelitatem. *Reducti igitur Perleones in gratiam cum Innocentio, ei ſtrenuam operam navârunt, cùm contrà Tiburtinos,qui ſolenne ipſi obſequium præſtare detrectabant, tùm contrà Arnaldiſtas Romanos. Contrà quos etiam quanto ſtudio & animi ardore,quanta rerum ſuarum jactura & vitæ incommodis pro Lucio II. & Eugenio III. Pontificibus Romanis ſteterint,ex hac quam præ manibus habemus,Epiſtola liquet. Demùm eosdem quoque vnà cum Frangipanibus Alexandro III. contra Fridericum Imp. auxilio fuiſſe, acta ipſius Alexandri in Vaticana Bibliotheca teſtantur,in quibus inter cætera hæc leguntur:*

Perleones pugnant pro Innocentio Secundo.

Perleones ſtant pro Lucio Secundo & Eugenio Tertio.

Ijdem adhærent Alexandro III. contrà Fridericum Imperatorem.

Papa Alexander cum Cardinalibus & familijs eorum,relicto Palatio Lateranenſi,deſcendit ad tutas domos Frangipanum,& apud S.Mariam Novam & Caſtellariam & Colloſſeum, ſe cum eis recepit. In quibus diebus Rex Siciliæ audiens hoc,miſit ad Papam Alexandrum III. duas galeas cum multa pecunia. De qua pecunia ſuſcepta, partem dedit Frangipanibus fidelibus Eccleſiæ,& filijs Petri Leonis,vt ſtrictiùs obligati ad invicem ſe fortiùs adjuvarent.

Vidésne igitur,amice Lector, vt ſemper Perleones in defendenda Eccleſia Romana ſint verſati? quod profectò non eſt adverſari Imperio,vt Arnaldiſtæ calumniantur Romani, ſed potiùs illud ſtabilire. Non enim audiendi ſunt, vt S.ait Bernardus,qui dicunt,vel Imperio pacem & libertatem Eccleſiarum, vel Eccleſijs proſperitatem & exaltationem Imperij nocituram. Quod ſanè magiſtrali ipſe edocuit Epiſtola,ſcribens ad Conradũ Imp. contra eosdem Arnaldiſtas Romanos: quam hîc deſcribere, vitandæ prolixitatis cauſa, ſuperſedemus.

Epiſtola 243.

Quare vt eò,vnde digreſſi ſumus,revertamur,cùm ex his ſtrenuis pro Eccleſia Romana pugilibus plures ab Arnaldiſtis Romanis Vrbe ſint pulſi,vt ipſi ſuis litteris profitentur: cúmq; ex ſtirpe Perleonia nullum aliud germẽ tranſplantatum poſſit reperiri,præter Habsburgium; neceſſe eſt vt fateamur eius-

dem

dem Habsburgici germinis auctores, hoc tempore & ob defenſionem Eccleſiæ Romanæ, eiusdémque Pontificis Maximi Eugenij III. Vrbe coactos fuiſſe excedere. Sed quid prædictis ſubjũgant ijdem Arnaldiſtæ Romani, audiamus, hæc enim ſubdunt. Appropinquet igitur nobis Imperialis celeriter vigor; quoniam quicquid vultis in Vrbe obtinere poteritis: & vt breviter ac ſuccinctè loquamur, potenter in Vrbe quæ caput mundi eſt, vt optamus habitare; toti Italiæ & regno Teuthonico, omni Clericorum remotò obſtaculo, liberiùs & meliùs, quàm omnes ferè anteceſſores veſtri, dominari valebitis. Sine morâ ergo precamur, vt veniatis; & interim de ſtatu veſtro, quem ſemper deſideramus ſalubrem, de his regalibus litteris & nuntijs nos lætificare dignemini. Sumus enim per omnia veſtræ voluntati ſemper obtemperare parati. Sciatis prætereà, quia pontem Milvium extra Vrbem parùm longè, per tempora multa pro Imperatorum contrario deſtructum, nos, vt exercitus veſter per eum transire queat, ne Petri Leones per Caſtellum S. Angeli nobis nocere poſſint, vt ſtatuerunt cùm Papa & Siculo, magno conamine reſtauramus, & in parvi temporis ſpatio muro fortiſſimo & ſilicibus juvante DEO complebitur.

Petri Leones Caſtellum S. Angeli tenuerunt.

Tenuerunt Caſtellum S. Angeli Perleones jam ſub Paſchale Papa. Vnde Petrus Leonis, vt ſupra vidimus, coactus eſt dare obſides, vt Henricus Imperator ſecurè transiret Caſtellum & pontem. Ad eosdem in idem Caſtellum, altero ab hoc anno Eugenius à Lateranenſi palatio confugit, ad evitandum populi inſanientis furorem. Videntur autem illud in bonis accepiſſe ab Vrbano II. cùm illud à Guibertinis recuperavit, cui Petrus Leonis contra eosdem Guibertinos ſtrenuam ſemper navârat operam. Jam quæ in ijsdem litteris ſequuntur ſtabilita inter Regem Siciliæ Rogerium & Romanum Pontificem pacta, non ab Eugenio ſed à Lucio inita fuère, quæ ſic deſcribunt: Concordiam autem inter Siculum & Papam huiusmodi eſſe accepimus. Papa conceſſit Siculo virgam & annulum, dalmaticam & mitram atque ſandalia. Et ne vllum mittat in terram ſuam legatum, niſi quem Siculus petierit. Et Siculus dedit ei multam pecuniam, pro detrimento veſtro & Romani Imperij, quod DEI gratiâ veſtrum exiſtit. Hæc omnia ſollicitè veſtra animadvertat optime Rex prudentia. *Salutationem autem ſequenti pentaſticho impertiunt:*

Rex valeat, quidquid cupit obtineat, ſuper hoſtes
Imperium teneat, Romæ ſedeat, regat orbem.
Princeps terrarum, ceu fecit Juſtinianus.
Cæſaris accipiat Cæſar, quæ ſunt ſua Præſul,
Vt CHRISTVS juſſit. Petro ſolvente tributum.

Nos de cætero Legatos noſtros, precamur, vt benignè recipiatis & quod vobis dixerint, credatis: ſunt enim nobiles viri Guido Senator, Jacobus filius Sixti Procuratoris & Nicolaus eorum ſocius: *hucúſque Romanorum Arnaldiſtarum litteræ ad Conradum. Verùm nullum eas pondus & auctoritatem apud Conradum habuiſſe, hiſce verbis teſtatur Ottho Friſingenſis:* At Chriſtianiſſimus Princeps huiusmodi verbis ſiue nænijs præbere aures abnuit: quin immò venientes ad ſe ex parte Romanæ Eccleſiæ viros magnos & claros, quorum vnus Guido Piſanus eiusdem Curiæ Cardinalis & Cancellarius erat, renovationemque antiquorum privilegiorum ſuorum poſtulantes, honorificè ſuſcepit & honeſtè dimiſit. *Hactenùs de his Ottho.*

Vbi ſuprà.

Vera exilij Perleonum cauſa.

Conſtat igitur ipſorum teſtificatione Arnaldiſtarum Romanorum, cauſam exilij Perleonum eam duntaxat fuiſſe, quòd non eodem, quo illi, Arnaldi errore depravati, eâdem pariter amentia & furore affluentiam bonorum Clericis & Monachis inviderint, ſacra Pontifici vectigalia eripuerint, Eccleſiæ immunitatem, Pontificiam auctoritatem infregerint; Sed pro tuenda Eccleſiaſtica auctoritate ſe ijsdem murum oppoſuerint, pro Pontifice arma ceperint, neſarios eorundem impetus ac vim repreſſerint, ac denique (quod M. Albertus Argentinenſis ſcriptis prodidit) in hoc laudatiſſimo conatu Civem præpotentem, ſed adverſariæ factionis, & hoſtem Eccleſiæ interemerint. Mutua enim cæde tunc in alterutram partem ſævitum eſſe, ſatis indicat epiſtola D. Bernardi, quam contra eosdem Romanos Arnaldi alumnos ſtylo ferreo valdè acuto exaravit; in qua inter cætera hæc ait: Væ nunc tibi popule miſerande, non ab exteris nationibus, non à feritate barbarorum, non à millibus armatorum. Væ tantùm à facie tuorum tibi, væ à domeſticis & amicis, à clade inteſtina, à cruciatu præcordiorum, à tortionibus viſcerum. *Itaque etſi cuius illa cædes fuerit nihil certum & expreſſum ad poſteros transmiſſum ſit: illud tamen ex dictis liquet, eam factam eſſe non niſi ex flagrantiſſimo juſtitiæ ardore pro defendenda Eccleſiæ immunitate & tuenda* CHRISTI *in terris Vicarij auctoritate. Vndè ſummus ille ac juſtiſſimus rerum omnium arbiter* DEVS, *qui vti nihil mali inultum, & impunitum dimittit; ita etiam rectè factis merita præmia perſolvit: quemadmodum Zelum & factum Phinees, quo impuriſſimum*

In Chronico ſuo.

Epiſtola 242.

Num. cap. 25.

homi-

hominis Iſraelitæ flagitium vindicavit, adeò gratum habuit, vt non ſolùm omnem conceptam in populum prævaricatorem iram ex animo depoſuerit: ſed etiam vt Regius ait Pſaltes, illi hoc reputatum ſit ad juſtitiam in generatione & generationem: itaque idem horum Perleonum fratrum ferventiſſimo erga ſuam Eccleſiam, & eius ſummum Pontificem ſtudio delectatus, non modò poſt paucos annos illam omnem vrbanam rebellionem extinxit, Pontificémque Sedi ſuæ ac Vrbi, maximo omnium applauſu reſtituit, verùm etiam dictos fratres, quia in cauſa Eccleſiæ patria extorres facti fuerant; & ingentibus opibus poſſeſſionibúsque locupletavit; & eius præclariſſimæ familiæ dedit eſſe auctores, quæ poſtmodum ſummâ Imperij dignitate, quâ prioribus temporibus cōdecorata fuerat, iterum exornata; murū ſe pro Eccleſia protegenda cōtra eius quoscunque hoſtes, viriliter opponeret. Vndè vt vides Lector, moderni Auguſtiſſimæ Auſtriæ Domus Principes, Zelum hunc atque ſtudium erga Sacroſanctam Sedem Apoſtolicam à majoribus ſuis quaſi hæreditarium acceperunt, & cum ipſo veluti nutricis lacte, mente tota penitùs combiberunt: meritóque nefandiſſimam hominum peſtem, quæ maximè aulas Principum obſidere ſolet, modernos Politicos dico, hominis peſtilentiſſimi Arnaldi de Brixia ſobolem & alumnos, odio auito & innato proſequuntur; ſiquidem par eſt, vt quam illuſtrium majorum ſuorum veſtigiis ſignatam atque impreſſam intuentur viam, toto pectore omniq́ue animi contentione conſectentur.

Pſalm. 105.

Hæreditariū ſtudiū Principum Auſtriacorum erga Sedem Apoſtolicam.

CAPVT X.

Quo anno Leo Maximus Petrus Leo filios ſuos in Alemannia viſitavit.

ANno igitur DOMINI *milleſimo centeſimo quadrageſimo quinto, Vrbe expulſis, vel etiam ſponte cedentibus duobus filijs Leonis Petri de Leone (qui vt dictum eſt aliàs Leo de Maximis ſeu Maximus Petrus Leo appellabatur) vt invidiam & odium, quod in defenſione Eccleſiæ & Romani Pontificis, ex occiſione potentiſſimi Romani civis contraxerant: in Alſatiam, acceptà à patre ingenti pecunia commigrarunt. Par eſt autem credere illos eodem, quo patriam deſeruerunt, anno, in Alſatiam perveniſſe. Ab hoc verò paucis alijs interjectis annis, vt ſcribit M. Albertus Argentinenſis, cum vterq; jam ſtatum ſuum in illis Germaniæ partibus ſtabiliviſſet; pater eorundem Romà profectus, eos inviſit, & natu quidem majorem reperit plurimis cöemptis prædijs ſedem ſibi ſtabilem paraviſſe; minorem verò natu, caſtrum Habsburg maximâ clientum turbâ comparatâ tenere invenit, quæ omnia etſi jam ſuperius ipſis Alberti Argentinenſis verbis deſcripſimus; hîc tamen ad majorem rerum geſtarum fidem neceſſariò repetenda duximus. Sic enim ſe habent.*

M. Albertus Argentinenſis in Chronico ſuo circà principium.

Patre autem eorum poſt aliquot annos filios viſitante, cùm vidiſſet ſenioris prædia ab eo empta, eius prudentiam commendavit. Requirens autem de juniore quid egiſſet, illum ſe in fortiſſimam quādam munitionem collocaſſe vidit, & juſſis omnibus vaſallis ſuis cum eorum liberis maſculis optimè armatis venire ad montem, vbi caſtrum Habsburg eſt collocatum, illuc patrem traducens, illam fortium multitudinem oſtendit, quos & omnes eorum poſteros maſculini ſexus, ſuæ poſteritati fideles fore ſperaret. In illius ergo animoſa nobilitate gaviſus Pater, magnum theſaurum deſtinavit eidem. *Hactenùs de his Albertus Argentinenſis.*

Videtur

Videtur verò hæc Leonis in Germaniam profectio inci-diſſe in annum CHRISTI *milleſimum centeſimum quinqua-geſimum ſecundum, qui fuit annus ſeptimus poſt duorum eiuſ-dem filiorum ab Vrbe diſceſſum: intra quod temporis ſpatium facilè ea omnia fieri potuerunt, quæ poſt eorundem migratio-nem facta eſſe deſcribit Albertus Argentinenſis. Conjecturam autem huius capio ex veteri illo inſtrumento, quod ex quodam antiquo Vaticano volumine extractum & editum à Centio S.R.E. Camerario, qui poſteà Pontifex creatus, Honorius III. dictus eſt, & adhuc vt Wion ſcribit, in Bibliotheca Palatina ſervatur. Cùm enim in eo inſtrumento, quod ipſo Leone ſuper-ſtite erectum fuiſſe conſtat, duo eius filij ſubſcripti reperian-tur, ipſius verò nulla fiat mentio, cùm tamen primo loco inter Perleones & ſtatim poſt Frangipanes ſubſcribi ſolitus ſit, vt patet ex illo veteri inſtrumento, quod ex archivo Monaſterij S. Gregorij in Vrbe exceptum, edidit Arnoldus Wion, & ſic ſe habet.*

Annus quo viſitavit filios ſuos in Alemannia Leo Maximus Petrus Leo.

In nomine DOMINI, Anno DOM. Incarn. M.CXXXIX. Anno verò Pontificatûs Innocentij II. Nono, Indict. ij. Menſis Aprilis, die quarta. Ego Petrus Monaſterij S. Andreæ Apoſtoli & ſanctiſſimi Gregorij Confeſ-ſoris in Clivo Scauri, humilis Abbas, prædeceſſorum meorum Venerabi-lium Abbatum, prudentiam ſequens, in Concilio Lateranenſi in Eccleſia S. Salvatoris ſolenniter habito, præſidente Domino noſtro Papa Innocen-tio & conſedentibus Cardinalibus, & conlateralibus Epiſcopis, tribus quoque Patriarchis Antiocheno, Aquileienſi, atque Gradenſi, Archiepiſco-pis, Epiſcopis & Abbatibus in magno numero congregatis, Canonicam & Legalem feci querelam ſuper Oddone de Polo, qui violenter & ſacri-legè invaſerat caſtra Monaſterij & detinebat ipſum, videlicet Polo, Juſti-nianum, & Guadaviolum; quia Dominus Papa multis & gravibus extra-neorum qui convenerant, impeditus erat negotijs, cauſa ita poſt Conci-lium eſt dilata. Vnde ego non modicum ſolicitus, cum prædictus Oddo etiam ab Vrbe ſtudioſè ſe ſubtraheret, poſteà per Joannem Scrinarium illo præſente, ante eundem Pontificem, præſentibus Cardinalibus & Epi-ſcopis, præſente quoq; Theobaldo Præfecto & nobilibus viris Vrbis Cen-tio & Odone Fraiepane, Leone Petri Leonis, cum fratribus ſuis Centio Guidone &c.

Inſtrumentũ publicum ex Archivo Monaſterij S. Gregorij in Vrbe.

Cùm igitur, inquam, in illo Vaticano Inſtrumento Leo non ſubſcriptus reperiatur; qui tamen vt ex deſcripto modo patet inſtrumento, primo loco inter Petros Leones ſubſcribi conſue-vit: non abſurdum erit conjectare, illum eo tempore, quo præ-

dictum publicum inſtrumentum erigebatur, minimè Romæ præſentem fuiſſe: ac proindè cùm aliàs nihil obſtare videatur, ipſum profectum eſſe in Germaniam ad duos ſuprà memoratos filios ſuos viſitandos. Erat namque tunc temporis jàm trànquillitas Eccleſiæ & Vrbi reddita, pace inter Eugenium Pontificem & Romanos conſtituta: & vix dum Fridericus Conrado in Imperium ſucceſſerat, qui tunc temporis æquo adhùc in Eccleſiam Romanam erat animo. Liberè itaq; ac tutò hoc tempore Leoni licuit per Italiam in Germaniam iter facere, quod ei minimè licuiſſet per Fridericum ſub Hadriano & Alexandro Pontificibus Romanis, qui vti eorundem Pontificum ita etiam Perleonum & Frangipanum qui ijsdem fideliſſimè adhæsêre, extitit capitalis hoſtis.

Affectus etiam & ſollicitudo paterna idipſum perſuadent: quæ proculdubiò animum Leonis pervicêre, vt primam eámque oportunam captaret occaſionem filios longê ab ipſo & extra patriam conſtitutos inviſendi.

His igitur omnibus conſideratis veriſimillimum mihi videtur Leonis profectionem in Germaniam ad filios ſuos inviſendos contigiſſe anno milleſimo centeſimo quinquageſimo ſecundo, quo prædictum Vaticanum inſtrumentum erectum eſt: quod ideò hîc ſubjungendum duximus; cùm vt perſpici poſſit inter cæteros Perleones Leonem in eo non ſubſcriptum eſſe, tùm vt ex eo intelligatur, juniorem fratrem ex illis duobus, qui in Germaniam commigrarunt nō fuiſſe Petrum Leonis filium, quoniam is in hoc inſtrumento cum alio fratre Obicione ſubſcriptus reperitur. Eſt verò huiuſmodi.

Inſtrumentum publicum ex Bibliotheca Vaticana.

In nomine DOMINI, Amen. Anno DOM. Incarnationis M. C. LII. anno octavo Domini Eugenij Papæ III. Indict. 15. menſis Julij, die XXVII. Ego quidem Rainerius, licet indignus, Abbas Venerabilis Monaſterij Beati Salvatoris de Monte Annato &c. *Et infrà circa finem.* Quam ſcribendam rogavi Andream Scrinarium S.R.E. in menſe & Indictione ſupra ſcripta 15. Signum manus ſupraſcripti Domini Eugenij ſummi & Venerabilis Pontificis & in ſacratiſſima Sede B. Petri Apoſtoli. PP. Iij. conductoris huius PP. rog.

Centius Fraiapanis egregius Romanorum Conſul.

Oddo Fraiapanis, Sereniſſimus Romanorum Conſul.

Ioan-

Ioannes Fraiapanis, filius D. Centij Rom. Conſul.
Stephanus de Theobaldo: Jacintus D. Papæ Dapifer,
Joannes Petri Leonis egregius Rom. Conſul.
Gratianus Filius Obicionis, Petri de Leone Rom. Conſul.
Petrus Leonis. Petri de Leone Rom. Conſul.
Obicio, Leonis, Petri de Leone Rom. Conſul.
Stephanus infans filius Stephani de Theobaldo.

& alij quamplurimi teſtes ſubſcripti ſunt, quos longum eſſet hîc enumerare.

Porrò illud Lectorem admonendum putamus, errores quosdam in hoc inſtrumentũ irrepſiſſe, fortè vitio librariorum, quos non animadvertit Arnoldus Wion, nam pro anno Pontificatûs Eugenij octavò, ſignatus eſt quartus, qui fuit annus CHRISTI *ſuprà milleſimum & centeſimum quadrageſimus octavus, quo anno Eugenius Papa in Gallijs poſitus Rhemis Concilium celebravit, & non ante menſem Octobrem ad vicina Romanæ Eccleſiæ loca pervenit, vt egregiè animadvertit ex S. Bernardo in Malachia Card. Baronius. Similiter etiam ipſam Indictionis notam eâdem incuriâ & vitio in eodem Inſtr. depravatam eſſe conſtat, ſiquidem Indictio prima, quæ ibidem notata habetur, primùm à menſe Septembri anni illius currentis numerari cœpta eſt; & adhuc menſe Julio duravit Indictio decima quinta, vti omnibus eſt compertum, qui veram numerandæ Indictionis rationem callent. Sed commune veterum monumentorum naufragium eſt, vt in ratione & nota temporis, facilè damnum patiantur cùm incuria aut inſcitia librariorum, tùm maximè ipſa vetuſtate huiusmodi omnia tineis adminiculantibus corrodente & conſumente. Fatendum tamen eſt in antiquis monumentis notam Indictionis ſæpius anticipatam reperiri, ita vt non à Septembri ſed à Januario eiusdem anni cœpta ſit numerari, quod & in Epitaphio Leonis ſuprà allato eſt videre.*

Cæterùm in hoc inſtrumento ſolidum & incorruptum eſſe numerum annorum à CHRISTO *nato, ex eo fit manifeſtum, quòd hoc anno vt ſuprà diximus, primùm Eugenius Romæ ſedere cœpit, teſtificante id Roberto in Appendice ad Sigebertum, qui hoc ipſo anno iſta habet in fine.* Eugenius Papa cum

Romanis pace facta Vrbem ingreditur, ibique cum eis hoc anno primitus commoratur, *nempè poſt reditum è Gallijs, & ſequente anno primâ indictione, octavo Idus Iulij, idem Eugenius diem obijt extremum. Quare cùm dictum inſtrumentum menſe Iulio die vigeſima ſeptima ſit confectum præſente Eugenio* III. *neceſſariò illud ad annum* CHRISTI, M. C. L. II. *referendum eſt.*

Igitur vt eò revertatur vndè digreſſa eſt oratio, cum Leo Maximus in dicto publico inſtrumento non ſubſcriptus repeteriatur, qui tamen hoc adhuc tempore numerabatur inter vivos, quippe qui vt ſuprà dictum eſt, decennio ſuper vixit, veriſimillimum videtur, ſiquidem jam res vrbanæ compoſitæ & tranquillæ erant, eum tunc filios ſuos inviſendi gratiâ, Româ in Germaniam profectum fuiſſe. Neque enim Leo antè commodè ac tutò ab Vrbe abfuiſſe potuit, flagrante ea civili ac inteſtino bello, neque in tam brevi annorum ſpacio filij eius in Germania tot bona ac prædia tótque clientes comparare potuêre, quot eos poſſidere pater invenit. Poſt hunc verò annum iter in Germaniam facere minimè tutò potuiſſe videtur, magno jam cum exercitu Italiam intrante Friderico; rurſuſq; tumultuantibus Romanis Arnaldiſtis, immò ſub Hadriano omnes vias ac aditus ex Germania in Italiam per Fridericum obſeſſos ac intercluſos fuiſſe, ne aliquis indè ad Sedem Apoſtolicam accederet, aut Limina Apoſtolorum viſitaret, litteræ Hadriani ad Epiſcopos Germaniæ contrà Fridericum datæ ſunt teſtes.

Apud Radevicum in Friderico lib. 1. cap. 15.

Porrò qua ratione huic noſtræ opinioni non officiat quòd Vernerus Habsburgienſis, vltimus ex Comitibus Altenburgicis, his diebus ſupervixiſſe, publiciſque inſtrumentis ſubſcripſiſſe reperiatur, in ſequentibus capitibus dicemus.

CAPVT

CAPVT XI.

Quinam filiorum Leonis Maximi Petri de Leone in Alemanniam migrârint, ac novæ Habsburgienſis familiæ auctores extiterint.

Conſtituto itaque vtroque tempore; & quo Perleones ex Vrbe profecti in Alemanniam pervenêre; & quo pater eorundem, firmato jam vtriusq; in Germania ſtatu, ipſos inviſit: nunc reliquum eſt, vt inquiramus quinam filiorum Leonis Maximi circà Alpes conſederint, quóve nomine fuerint nuncupati. Nam in hoc etiam graviter erratum; veritásque hoc errore obvoluta, hactenùs multis riſui ac ludibrio fuit.

Rudolphus maior natu filiorum Leonis Maximi Petri de Leone.

Ac primùm quidem de majore natu filiorum Leonis Maximi, qui in Heluetiæ partibus conſtitiſſe memorantur, extrà controverſiam eſt ipſum Rudolphum nuncupatum fuiſſe: quem tradunt Argentoratenſem Epiſcopum creatum anno DOMINI *milleſimo centeſimo ſexageſimo primo; quo in honore cùm annos decem & octo exegiſſet, tãdem juſſu Alexandri III. Pontificis Maximi, eò quòd cognitum fuiſſet ipſum Epiſcopum vitio factum, Epiſcopatu ſe abdicavit, reliquumq; vitæ apud fratrem transegit. De eius Epiſcopatu meminerunt Raphaël Volaterranus, Antonius Vacca I.C. Romanus, Hieronymus Bardi, Arnoldus Wion.*

An prædictus Rudolphus fuerit Epiſcopus Argentoratenſis.

Verùm quod ad Epiſcopatum eius Argentoratenſem attinet, dubium planè id ac ſuſpectum videri poteſt, cùm nulla de eo fiat mentio apud antiquiores noſtræ ſententiæ auctores; vt apud Albertum Argentinenſem & Henricum Gundelfin-

genſem. Immò ſatis perſpicuè apparet totum hoc, quod de alterius fratris Epiſcopatu aſſeritur, ſicut & illud de exſtructo ab ijsdem caſtro Habsburg, omninò ex hiſtoria Vernarij primi Habsburgici caſtri conditoris, depromptum eſſe; quem conſtat multis annis ante Perleonum in Germaniam aduentum, Argentoratenſi Eccleſiæ præfuiſſe. Illud ſanè compertum habeo Vlricum à Clingenberg, & Albertum à Bonſtetten prædictam Vernarij hiſtoriam cum Alberti Argentinenſis narratione prorſus confudiſſe: vndè factum eſt, vt etiam planè hac in re diuerſa ab Alberto Argentinenſi ſcriptis ſuis prodiderint, variósque lapſi ſint in errores.

Lazius Commēt. in familiam Auſtriacam, lib 1. cap. 1.
VVion §. 13.

Porrò alterum fratrem minorem natu Petrum nominatum, tradunt Lazius & Arnoldus Wion: ſed præterquàm quòd nullius Petri memoria reperiatur, qui fuerit Comes Habsburgenſis, ex ſuperiùs allato publico Inſtrumento manifeſtò conſtat Petrum Leonis Maximi filium Romæ extitiſſe, publicisque monumentis ſubſcripſiſſe, cùm jam ante ſeptennium duo fratres eius ob defenſionem Romanæ Eccleſiæ Vrbe exacti in Alemanniam conceſſiſſent. Quare tota huius rei perveſtigatio ad ipſam temporis rationem tanquam ad Lydium quendam lapidem curatiùs exploranda erit; quippè quæ omnium rerum controverſarum, quæ fide hiſtorica ſubnituntur, certiſſima quædam regula eſt & norma.

Igitur, vt hinc ordiamur, ex ſuperiùs jam poſitis certum ac fixum eſt, duos illos filios Leonis Petri de Leone, ex Vrbe in Alemanniam commigraſſe, ad Annum CHRISTI *milleſimum centeſimum quadrageſimum quartum: quos circà Helvetiæ partes firmatis ſedibus ac ſtabilitis rebus ſuis, poſt ſeptennium inviſit pater, vti ſuperiori capite veriſimiliter oſtendimus. Hoc autem anno, quo Leo filios inviſendi gratiâ in Germaniam venit, nempè anno poſt* CHRISTVM *natum milleſimo centeſimo quinquageſimo ſecundo, jam minorem natu filium caſtrum Habsburg habitaſſe auctoritas Alberti Argentinenſis, & Henrici Gundelſingenſis cogit affirmare.*

Porrò qui hoc tempore à caſtro Habsburg cognominati

ſloruerunt, duo reperiuntur: nimirùm Vernerus Comes Habſburgius, & Adelbertus Dives: quorum ille obiiſſe traditur anno milleſimo centeſimo quinquageſimo nono, vel vt Guillemannus putat, anno ſexageſimo tertio; hic verò Vernero ſuperſtes Comitatum Habsburgium tenuit vſque ad annum nonageſimum nonum. De Vernero certum eſt, ipſum non ex Perleonia, ſed ex Comitum Vindoniſſenſium ſtirpe profectum. Albertum autem cognominatum Divitem ex Perleonum familia ortum diſertis verbis Gundelfingenſis tradit: quod quidem omnes etiam ij auctores conſequenter affirmaſſe cenſendi ſunt, qui Rudolphi I. Imp. genus ad Perleones retulère, ſiquidem certo certiùs ex ipſius Rudolphi teſtificatione conſtat, Albertum hunc Divitem eius proavum fuiſſe. Igitur Annalibus Heluetiorum & Hiſtoriâ Alberti Argentinenſis collatis in vnum, & ad eam, quam ſuprà ſtatuimus, temporis rationem comparatis, præſentis controverſiæ modus ſic conſtitui poſſe videtur. Nam inprimis, quòd is, qui circà hæc tempora Comitatum obtinuit Habsburgium, nuncupatus fuerit Adelbertus, produnt Annales Heluetiorum, & tacet Argentinenſis: quod autem idem gente Romana fuerit oriundus, eâque Perleonia tacent Annales; & produnt, primum quidem Argentinenſis, alterum verò Gundelfingenſis.

Hiſt. Auſtriaca Epit. 2.

Deindè Annales quidem referunt dictum Comitem Albertum, Divitem cognominatum; Argentinenſis verò cauſam tradit. Nam & principiò dum ex Vrbe eliminarentur, cuilibet dictorum fratrum immenſam pecuniam à patre datam affirmat; & deindè juniori magnum ab eodem theſaurum transmiſſum aſſerit. Itaque cùm Adelbertus, præter bona ac prædia ad Comitatum Habsburgienſem pertinentia, tanto theſauro eſſet locupletatus, non immeritò Dives dictus eſt & fuit.

Albertus quare Dives cognominatus.

Verùm quoniam eò loco res eſt conſtituta, vt inter apocryphorum acervos arbitri conſidentes, quæ fabuloſa inſtar leviſſimarum palearum exſufflare; quæ verò probatæ fidei tanquam ſolida grana ſecernere neceſſe habeamus; obvijs accipimus ma-

Albertus Baro à Bonſtetten Hiſtoria Auſtriaca capitulo 16.

nibus; quod ab Alberto Barone de Bonſtetten, hac in re memoriæ traditum eſt, acceptum vt ipſe ait ex veteri traditione, nimirùm minorem natu ex fratribus illis duobus Romanis, qui generis Habsburgici auctores extitère, Albertum nuncupatum fuiſſe: in cuius Alberti conjugio, cùm idem auctor tradat, Comitis Brigantini vnicâ filiam vixiſſe, & ab his poſteriores Habsburgi Comites propagatos; ſatis patenter indicavit id de Alberto Divite interpretandum eſſe.

Ibidem capitulo 18.

Cæterùm rem prorsùs ita ſe habere, fidem facit publicum Inſtrumentum, quod ex archivo Monaſterij Maris ſtellæ acceptum, Ioannes Stumphius Chronico ſuo intexuit: in quo Inſtrumento Rudolphus Habsburgius necdum in Regem Romanorum electus, eiúsque patrueles, non ſolùm prædictum Albertum Divitem proavum ſuum nominant; ſed etiam dum progenitores ſuos enumerant, à quibus poſſeſſiones, & latifundia in Heluetiæ oris ſita hæreditate acceperant, in hoc Alberto tanquam in ſupremo familiæ ſuæ capite ſubſiſtunt. Inſtrumentum, quod Stumphius ex autographo deſcripſit, ſic ſe habet:

Chron. magn. lib. 7. cap. 12.

Comites de Habisburch, videlicet, Rudolfus Landgravius Alſatiæ, Rudolfus Canonicus Eccleſię Baſilienſis, Gotfridus & Eberhardus fratres eiusdem Landgravij patrueles. Vniuerſis &c. Noverint igitur quos noſſe fuerit oportunum. Quòd cùm nos curtes, & prædia noſtra in Duèrigkon & Slieron ſita, jure proprietatis ad nos & noſtros progenitores pertinentia, à prædicta domina & matre noſtrâ, videlicet prædicti Landgravij Heluiga Comitiſſa, cui ipſę curtes & prædia in recompenſationem donationis propter nuptias titulo pignoris fuerunt obligata &c. Quidquid juris habemus in prædictis vniuerſis & ſingulis bonis & hoininibus, tàm nos quàm bonæ recordationis progenitores noſtri Comites videlicet Albertus mihi Langravio pater, nobis tribus fratribus patruus, Rudolphus avus, Albertus proavus, ratione proprietatis vel infeudationis ab imperio vſque in præſentiarum diviſim vel conjunctim & communiter habuiſſe & poſſediſſe dignoſcuntur &c. Data Anno DOMINI 1259. 16. Kal. Novemb. Indict. 3. Alexandro Papa quarto Romanam Eccleſiam gubernante. *Hactenùs Inſtrumentum à Stumphio deſcriptum, quod maximè noſtræ ſententiæ ſuffragari videtur. Nam dum Rudolphus ac patrueles eius tam curatè genus ſuum repetunt; & non altiùs quàm à proavo; manifeſtè inſinuaſſe videntur, ſe plures ac vetuſtiores progenitores, qui Comites Habs-*

burgij fuiſſent, & à quibus illa bona ab iiſdem iure partim proprietatis, partim infeudationis ab Imperio acquiſita, ſucceſſione & hæreditate accepiſſent, in illis partibus minimè habuiſſe. Deindè vt hoc etiam addamus, Albertum Divitem non fuiſſe è ſtirpe veterum Habsburgiorum oriundum, illud permagno eſt argumento, quòd Rudolpho Imp. eius pronepoti objecta eſt ab adverſario Ottocaro Bohemiæ Rege generis mediocritas, ſeu nouitas; quam nec ipſe Rudolphus vnquam diſſimulavit, ſed palàm confeſſus eſt: qui tamen nobilitate in Germania coalita nulli ſecundus fuiſſet, ſi genus ſuum ab antiquis illis Habsburgienſibus & Altenburgicis Comitibus traxiſſet; quippè qui ex eadem proſapia prodijſſet, ex quà nobiliſſimi Zaringiæ Duces oriundi fuerunt. Objectam autem fuiſſe ab Ottocaro hanc generis mediocritatem Rudolpho, Auctor quidem anonymus, ſed Rudolpho ferè contemporaneus refert; qui M S. extat in Bibliotheca Monaſterij S. Crucis; à quo Cuſpinianus pleraque, quæ de Auſtrijs Principibus ſcripſit, mutuatus videtur. Hæc enim auctor ille Ottocarum Henrico Burggravio Nürrenburgenſi nomine Imperij Auſtriam ac alias provincias repoſcenti, reſpondiſſe tradit:

Non decrevimus tam facilè reddere, quæ arcu & gladio noſtro tam ſudorosè conquiſivimus, vel quæ ad nos conſanguinitatis, & affinitatis tramite manaverunt. Adijciens ſe non modicùm mirari, quod proceres regni omiſſis potentioribus, tam exilem Comitem ad regni faſtigium extulerunt. *Ottocarum autem de exilitate generis locutum fuiſſe, ex eiusdem Burggravij reſponſione patet. Nam ad primum ità reſpondit:* Expedire vobis crederem, vt depoſito elationis faſtu Romano vos Principi ſubderetis, cui neceſſe erit ſpiritum præſumptionis veſtræ recondere, eò quòd Imperium contempſiſtis, & ad Conſiſtoria Principum non veniſtis. Sed & oblatum vobis regnum olim poſtergaſtis, ſufficientem vos habere gloriam reſpondiſtis. Scitis quòd Excelſus poteſtatem habet in regno hominum, & cui voluerit dabit illud. *Ad alterum vero ita:* Genus & proavos ſtrepitis? omne genus hominum in terra ſimili ſurgit ab ortu. Cui enim DEVS auctor ſpectabilis, nullus degener extat.

Libr 1. cap. 2.

Videſne, Lector, Burggravium non negare, ſed tacitè confiteri mediocritatem in Rudolpho: qui tamen, ſi Rudolphus

è ſtirpe eadem, à qua Zaringiæ Duces prodierunt, ortus fuiſſet; egregiè faſtum Regis reprimere potuiſſet.

Eandem etiam generis mediocritatem ſæpè ipſe Rudolphus in Epiſtolis ſuis palàm præ ſe tulit: vt in illa, quam ad Abbates Sacri Ordinis noſtri Ciſtertij congregatos dedit, in qua ſignificat ſe ex humilis loci tugurio, ad celſa & faſtigioſa palatia provectum; multiſque in alijs, quas hîc longum eſſet deſcribere.

Vide ſuprà in præfatione.

Epiſtol. 130.

N B.

Sanè hanc generis ſui novitatem in Germania Rudolphus ſcribens ad Gregorium X. Pontificem Romanum mihi non obſcurè expreſſiſſe videtur, dum inter cætera ait: O mira paternæ clementia pietatis, quæ non eſt dedignata nobis à primis noſtræ creationis naſcentibus exordijs, compaſſionis exhibere mamillam, vbera lacteis irrorata liquoribus porrigere reddentia grave pignus amoris. O ineffabilis gratitudo favoris, & ſtupenda dilectionis affectio, quæ nos pridem in regno tenellos in vlnis educationis delitiosè ſuſcipiens, fovit inter impuberes & adultos. *Nam certùm eſt Rudolphum matura jam & provecta ætate, liberiſque procreatis ad Imperium aſſumptum: quare ſe in regno pridem tenellum non annis ſed familiâ, fotum inter impuberes & adultos, id eſt, prælatum familijs nobilioribus & antiquioribus aſſeruiſſe cenſendus eſt.*

Quo modo Rudolphi genus novum & mediocre viſum ſit.

Porrò hîc Lectorem admonendum putamus, etſi Rudolphi genus & ſtemma ab antiquiſſima Anicia ſtirpe deductum nobiliſſimum illuſtriſſimúmque fuerit, ac planè conſulare & Imperatorium: eo tamen tempore mediocre viſum eſſe, quia tranſplantatum in Germaniam vix quartum generationis gradum attigerat, neque vltrà Comitatûs dignitatem provectum noſcebatur. Vndè non immeritò illud novum vulgò ac mediocre viſum eſt; præſertim ignorantibus, à quali quantáque ſtirpe Romana Rudolphi progenitores orti fuiſſent. Quanquam crediderim nec ipſi Rudolpho, nec eiuſdem in Germania progenitoribus ſatis perſpectum fuiſſe eorum majores Aniciorum poſteros fuiſſe.

Rudolphi I. Imp. progenitores ex Italia oriundos fuiſſe.

Denique, vt tandem finem faciamus, inter memoratas Rudolphi I. Imp. Epiſtolas, extant quædam litteræ Italici hominis pro Piſanis ad ipſum ſcriptæ, ex quibus planè colligitur Ru-

dolphi progenitores ex Italia oriundos fuiſſe: ſiquidem in ijs affirmatur non ſolùm Rudolpho à progenitoribus innatam eſſe ſingularem erga terras illas affectionem, aut quid ſimile; (nam locus ille mutilus eſt) ſed etiam eundem, cùm in Italiam venerit excipiendum fore favoribus gentilium non paucorum. Epiſtola ſic ſe habet: Epiſt. 59.

Leges aſſerunt, vſus approbat, antiquitas proteſtatur, quòd Romano Principi, vt de cæteris taceam, Thuſcorum regio ſerviat ſub tributo. Hac igitur conſideratione fretus vnus pro multis, ſolus pro pluribus vobis loquor, qui ad faciem Principis * credor pro omnibus interceſſor. Ecce provincia Thuſciæ, quæ ſui propinquitate ad Romani Imperij piam Sedem tanquam principale membrum ſuo deberet capiti familiariùs reſpondere, jacet in numeroſitate ſchiſmatum lacerata bellis, & plusquàm civilibus laceratur. Colludunt in vtero gemini, & tandem in Hieruſalem malitia prævalet Hiſmaëlis; dum hoſtis amicum, alienus domeſticum, Gelfus perſequitur Gibelinum, filij fiunt exules, & in exilium ſede digni exilio exulantur. Luget Piſana civitas inimicorum hoſtili gladio ſummi Pontificis, ac Regij culminis vulnerata. Ad cuius protectionem tantò teneri creditur Regia Celſitudo, & ad repulſionem eius gravaminis ardentiùs anhelare, quanto à ſuis progenitoribus ipſi Celſitudini inhæſit: *hîc lacuna eſt, ſed ex ſequentibus apparet à patriæ avitæ charitate duci argumentum; ſequitur verò:* puritate fidei firmioris, & amplioris eſt ipſa gratiæ privilegio ſublimata. Ad celeritatem igitur adventus Altitudo Regia excitetur † imitanda favoribus gentilium non paucorum, & brachijs Apoſtolici numinis amplectenda; ne ob adventus tarditatem nos vlteriùs irrideant inimici. *Hactenùs Epiſtola ad Rudolphum, quam magno redimerem precio, ſi integra abſque lacuna reperiri poſſet.*

* *fort. mittor.*

† *fort. invitanda.*

His igitur ità conſtitutis, conſequitur Volaterranum ac alios non mediocriter hallucinatos eſſe, qui ex filio Leonis Maximi juniore, Albertum Sapientem, & ex hoc Rudolphum Imp. natum tradunt. Nam præterquàm quòd id cum ea temporis ratione, quæ ſuperiùs à nobis validè ſtabilita eſt, minimè congruit; clariſſimè refellitur ex Inſtrumento paulò antè deſcripto, in quo ipſe Rudolphus poſtmodùm Imperator, Albertum patrem, Rudolphum avum, Albertum proavum ſuum fuiſſe apertè teſtatur. Quare hunc errorem in Volaterrano cùm Stumphius, Lazius, ac alij deprehendiſſent, occaſionem accepère aliâ ingrediendi viâ, novámque, exploſa veteri, Habsburgiorum Auſtriorum comminiſcendi Genealogiam.

Refellitur Volaterranus & Arnoldus Wion.

Sed quod navigantibus in Siculo freto evenire ſolet, vt dum immenſos haurientem gurgites Charybdim anxiè devitant; nimiùm flexo navis curſu devoluantur in infeſtam nautis Scyllam: idipſum etiam auctoribus prædictis contigit, vt dum caſu ac prolapſione Volaterrani nimiùm cauti ac circumſpecti redditi, longiùs ab eiusdem opinione deflexère, ad aniles propè ineptias, & commentitias fabulas ſint prolapſi.

Porrò nunc breviter reſpondendum eſt adverſarijs noſtris, qui Albertum Divitem Verneri III. Habsburgici filium aſſeverant. Id enim auctoritate libelli fundatorum Murenſis Cœnobij aſtruunt. At major apud me eſt fides Epiſtolarum Rudolphi Auguſti, cæterorúmque, quos pro ſententia noſtra adduximus, auctorum; quàm nudæ aſſertionis Murenſis Monachi: qui cùm Albertum memoratum Vernero in Comitatum Habsburgium ſucceſſiſſe ex annalibus ac vetuſtis Monaſterij ſui Inſtrumentis didiciſſet, non dubitavit eundem Vernero prognatum aſſerere. Sed quàm incerta ac futilis ſit hæc Genealogiæ inveſtigandæ ratio, jam ſuperiùs dictum eſt, innumeriſque exemplis convelli poteſt.

Certè Stumphius in minutis Heluetiorum Annalibus, quos poſt Chronicon ſuum limatiùs edidit, conſcientiæ vi ac pondere preſſus, maluit potiùs paternum dicti Alberti genus ſilentio præterire, quàm ex libello illo, ſicut in Chronico fecerat, incertum aliquid de eo aut falſum affirmare. Nam cùm à Guntramno Divite cognomento, vſque ad præfatum Vernerum ſingulorum paternum genus diſertis verbis expreſſiſſet: vbi ad hunc, de quo nobis ſermo eſt, Albertum pervenit, præter morem ſolennem atque inſtitutum ſuum, nullam paterni generis fecit mentionem. Quod profectò factitatum ab homine illo ea de cauſa exiſtimo; quoniam, cùm diverſum à priore ſua ſententia de Alberti genere à vetuſtis auctoribus proditum tandem deprehendiſſet, dubius & anceps animi fuit vtram in partem concedendum foret. Ego ſanè tutiſſimum eſſe puto, ſectari hac in re veterrimam illam opinionem, quæ olim vulgata & ſola fuit; ſed hactenùs necdum ſatis explicata, quæ tradit Habsbur-

gici generis auctores Perleones fuiſſe; quam amplexati ſunt & celebravere (proculdubiò nixi vetuſtiſſimâ à majoribus traditione, certiſſimíſque monumentis) Divæ memoriæ Maximilianus I. & Carolus V. Auguſti Imperatores, & ante hos Sigiſmundus Auſtriacus; quæ cum veterum Scriptorum teſtimonijs & cum certa temporis ratione congruit, ſacríſq; & Sibyllinis prædictionibus conſentanea eſt; atque demùm profundiſſimum divinæ Sapientiæ conſilium in tranſplantata, fota, & ad ſtuporem amplificata Arbore Aniciana etiam atque etiam commendat. Quare ſicuti Guillemannus de Volaterrano, ita ego de hoc Murenſi Monacho pronuncio, non ipſi eſſe tantam auctoritatem, quæ perſuadeat: quippè qui, cùm poſterioribus temporibus ſcripſerit, diverſiſq; ex Inſtrumentis donationum, libellum ſuum conſarcinârit, facilè eo, quo diximus, modo potuit hallucinari. Immò etiamſi certioribus monumentis aliquod indicium reperiri poſſet, quo ſignificaretur Verneri filium fuiſſe hunc, de quo loquimur, Albertum: id tamen potiùs de filiali adoptione, quàm de naturali propagatione interpretandum foret: ſiquidem aliundè certius eſt compertum, Rudolphi I. Imp. progeniem, cuius, vt antè vidimus, proavus fuit Albertus Dives, originem habuiſſe Romanam è Perleonum familia.

Poſtremò quia ſapientibus & inſipientibus debitores ſumus, vt ait Apoſtolus; ſi quis in ipſo Alberti nomine tanquam minus Romano hæreat, illúdque è ſacris litteris nobis obtrudat; Quia nemo eſt in cognatione hac qui vocetur hoc nomine: *huic breviter reſpondemus, Alberti nomen magis Romanum, quàm Germanum eſſe, compluréſque Romanos eo tempore fuiſſe inſignitos hoc nomine, ipſumq; patrem Lucij, qui antè Eugenium III. Romanam Eccleſiam rexit, Albertum nuncupatum reperiri. Videtur autem Albertus Dives à patruo magno hoc nomen accepiſſe, qui in litteris Romanorum ad Lotharium Imp. pro Petro Leonis aliàs Anacleto dicto, inter cæteros Vrbis proceres, Albertus Ioannis de Stephano adſcriptus reperitur; quippè* Luc. 1. cap.

VIII. 2 qui

qui fuerit Stephani illius nepos, cuius etiam fuit Petrus Leo. Inſcriptio litterarum ſic ſe habet:

Ex Codice Caſſinenſi Baronius Tom. 12.

DOMINO LOTHARIO GLORIOSO ET TRIVMPHATORI ROMANORVM REGI, HVGO PRÆFECTVS VRBIS ET FRATER EIVS LEO FRAIAPANE, ET CENCIVS FRATER EIVS, STEPHANVS DE THEOBALDO, ALBERTVS IOANNIS DE STEPHANO, STEPHANVS DE BENIZO FRATER EIVS, HENRICVS FILIVS HENRICI DE SANCTO EVSTACHIO, OCTAVIANVS FRATER EIVS, ET RELIQVI ROMANÆ VRBIS POTENTES, SACRIQVE PALATII IVDICES, ET NOSTRI CONSVLES, ET PLEBS OMNIS ROMANA, SALVTEM ET GLORIAM, ET DE HOSTIBVS VNIVERSIS VICTORIAM.

Verùm de his hactenùs.

CAPVT XII.

Quo modo Perleonię ſtirpis germina Albertus & Rudolphus fratres, filij Leonis Maximi Petri de Leone, veteribus Comitibus Habsburgienſibus in Comitiva Habsburgi dignitate, ac cæteris eorundem bonis ſucceſſerint.

QVoniam igitur ex dictis ſuperiùs perſpicuum eſt, Albertum Divitem cognominatum, non ex veterum Habsburgiorum & Vindoniſſenſium Comitum proſapia, ſed ex ſtirpe Perleonia oriundum fuiſſe: nunc reliquum eſt, vt oſtendamus, quo nomine & qua ratione idem Albertus priſcis illis Comitibus Habsburgienſibus in Comitiva Habsburgi dignitate, ac cæteris eorundem bonis ſucceſſerit. Qua quidem in re illud poteſtari neceſſe eſt, nos non niſi veriſimilibus rationibus niti poſſe: ſiquidem in vetuſtis monumentis nihil ſatis expreſſum de huiusmodi ſucceſſione reperiri contingit. Quantum tamen veriſimili conjectura hac in re aſſequi poterimus, nunc in medium proferemus.

Principiò autem illud ponendum eſt, quòd ſuprà dixi, Vernerum III. Habsburgium multis annis ſuperſtitem fuiſſe poſt Leonis Maximi in Germaniam profectionem, quam contigiſſe veriſimiliter oſtendimus anno poſt CHRISTVM *natum milleſimo centeſimo quinquageſimo ſecundo: quo anno Albertum caſtrum Habsburgium inhabitaſſe omninò affirmandum eſt, ſiquidem eò patrem traduxit ad inſpiciendos*

magno numero clientes, quos ea pecunia quam à patre migraturus ex Vrbe acceperat, hucúsque compårårat. Itaque illud etiam ſimul perveſtigandum venit, quod majorem videtur habere difficultatẽ, qua ratione Albertus cognomento Dives, vivo ac ſuperſtite Vernero Habsburgio, caſtrum Habsburg obtinuiſſe potuerit.

Duo autem veriſimiliores modi fingi poſſunt: primus eſt; vt aſſeramus Albertum caſtrum Habsburg, ac bona ad illud pertinentia, à Vernero pecunia comparaſſe: alter verò, vt ſentiamus illud eidem ductâ Verneri filia in vxorem, jure matrimonij & dotis nomine obtigiſſe. Cùm enim jam oſtenſum ſit Albertum ſæpiùs memoratum, non Verneri filium, ſed alterius ſtemmatis fuiſſe: relinquitur Vernerum maſculo hærede caruiſſe, totámque ipſius hæreditatem ad filias devolutam eſſe.

Itaque ſi Albertum Divitem primo modo caſtrum Habsburg ſibi vendicaſſe aſſeramus, illud emiſſe debuit, vel ab ipſo Vernero, vel à filiabus eius; quorum vtrumque difficile creditu eſt. Nam quo modo aut pater gentilitium familiæ ſuæ & præcipuum caſtrum alienis vendidiſſe potuit? aut quo pacto filiæ propriam & paternam hæreditatem non ſtuduerunt conſervare? Certè niſi Vernerum aut ſumma rerum egeſtate laboraſſe, aut maximo æris alieni pondere preſſum ſentiamus, quod penè incredibile videtur, non audemus affirmare ab ipſo caſtrum Habsburg, præſertim homini advenæ, divenditum fuiſſe.

Modus, quo Perleones Habsburgijs ſucceſſerunt.

Quare veritati magis conſentaneum videtur, caſtrum illud in poteſtatem ac ditionem Alberti redactum altero modo; id eſt, jure connubiali. Nam minorem natu filium Leonis Maximi vxorem è nobili ſtirpe in illis Helvetiæ partibus duxiſſe, omnes noſtræ ſententiæ auctores affirmant. Tradit verò Albertus à Bonſtetten Albertum hunc, de quo nobis ſermo eſt, ante Itam Rudolphi Pfullenduri & Brigantij Comitis filiam duas alias vxores habuiſſe; quarum prima non diu in eius conjugio vixerit; altera autem in puerperio partûs difficultate

Capitulo 11.

ſit

ſit extincta: ipſum autem ex vtriusque connubio magnis opibus, multíſque bonis atque maxima adauctum fuiſſe affinitate.

Itaque non abs re erit conjectari, aut primam aut alteram Alberti Divitis conjugem Verneri filiam fuiſſe; cuius reſpectu Albertus Vernero, cùm is maſcula prole careret, ſucceſſit in caſtrum & Comitatum Habsburgium, ratione nimirùm vxoris jure connubiali, conſignatis alijs bonis, duabus reliquis Verneri filiabus, vel ex æqua & concordi totius hæreditatis diviſione, vel ex legitima paterni teſtamenti inſtitutione; vel quod veriſimilius videtur, partium illarum, quas ſibi ceteræ vxoris ſuæ ſorores in caſtro Habsburg vendicare potuerunt, certa pecuniæ redemptione.

Porrò cùm, vt antè dictum eſt, idem Albertus jam memoratum caſtrum tenuiſſe reperiatur vivo adhuc & ſuperſtite Vernero: conſequens eſt, vt ſentiamus Albertum à Vernero tradita in conjugem filia in filium ac hæredem adoptatum fuiſſe, ſimúlque ſocerum cum genero in eodem caſtro habitaſſe: vndè factum eſt, vt auctor libelli fundatorum Murenſis Cœnobij ac alij non improbabiliter opinari potuerint, Albertum Vernero progeneratum; quem conſtat ex dictis non naturalem, ſed adoptivum duntaxat Verneri filium fuiſſe. Cui certè noſtræ opinioni maximè adſtipulatur Albertus Argentinenſis, qui non ſolùm ab illis duobus Romanis fratribus familiam Habsburgiam ad poſteritatem propagatam tradit, ſed etiam non obſcurè indicat, veterem illam ex Vindoniſſenſibus Comitibus proſapiam ſaltē maſculæ prolis defectu elanguiſſe, dum ait: Ex his itaque duobus fratribus omnes de Habsburg poſteà proceſſerunt: *Signanter ſatis innuens, Comites, qui antè fuerunt, de Habsburg, alterius ſtirpis fuiſſe; eorúmque ſtemma jam effœtum in Perleoniam gentem tranſlatum, à qua ceteri, qui poſteà floruère, Comites ſint oriundi.* *Vbi ſuprà.*

Porrò Albertus duabus prioribus vxoribus vita functis tertiam duxit Itam Rudolphi Pfullenduri & Brigantij Comi-

tis eius ſtirpis poſtremi filiam; ratione cuius, Rudolpho mortuo, vt inquit Gundelfingenſis, Comes Albertus montis Aventini vxoris ſuæ cauſſâ, quæ Comitis de Pragantia filia extiterat, adire hæreditatem huiusmodi habebat. Pro hoc tamen jure Imperator Fridericus Alberto Thuricenſem conceſſit Comitatum & Seckingenſis Eccleſiæ advocatiam cum prædijs de Bydertan. *Ex hac autem Ita Pfullendurenſi, cùm pleríque aſſerant, natum Rudolphi Cæſaris avum: conſequitur poſteriores Habsburgienſes Comites à prioribus illis Vindoniſſâ oriundis, nedum materno genere deſcendere. Vero igitur valdè congruum videtur Albertum Divitem Leonis Maximi F. vnam ex filiabus Verneri III. Comitis Habsburgienſis in conjugem habuiſſe; ratione cuius caſtrum & nomen Habsburgium ad ipſum, poſterósque eius hæreditate & ſucceſſione eſt devolutum.*

Epitome 2.

Qui modus per connubium hæreditandi non ſolùm tunc temporis in illis Helvetiæ partibus vſitatiſſimus fuit, vt ex Hiſtorijs paſſim liquet; verùm etiam huic familiæ Habsburgiæ adeò proprius eſt ac peculiaris, vt ad hanc ſtupendam huius temporis Imperij magnitudinem nulla alia penè ratione perveniſſe videatur.

Quis enim ampliſſimas poſſeſſiones Comitum Kyburgenſium in hanc familiam intulit? nónne Heduigis ſoror Hartmanni ſenioris Comitis Kyburgenſis, quæ nupta fuit Alberto Sapienti, ex quo facta eſt mater Rudolphi I. Imperatoris? Quis clypeum & cor ſacri Romani Imperij, Auſtriam dico, eidem familiæ adjecit? nónne eam cum Ducatu Styriæ atque Carniolæ Albertus Rudolphi filius vxoris Eliſabethæ Menardi Comitis Tyrolis filiæ intuitu conſecutus eſt? Quis deindè Burgundiam & illum Provinciarum ocellum ac delicias Belgium Habsburgijs Auſtrijs addixit? nónne Maria Caroli Ducis Burgundiæ filia & vnica hæres?

Denique ſic regnis Hiſpaniæ, ſic Siculo, ſic Neapolitano Sereniſſima Auſtria Domus potita eſt: ſic ſublimia Luſitaniæ ſceptra ad Indos vſque protendit, ſingulariter hoc divina Sapientia, quæ omnia ſuaviter diſponit, providente, vt ad hoc

admi-

admirandum humanæ majeſtatis ac potentiæ exemplar, ad quod à DEO potiſſimùm in terris eſt conſtituta; non ingenio, non induſtria, non divitijs & opibus, non armis, non viribus humanis; ſed ſolius DEI benignitate ac voluntate (qui ſiccavit lignum viride, & frondere fecit lignum aridum) evecta & Ezechiel.17. exaltata eſſe videatur. Quare cùm divinum ac cœleſte Numen hoc per connubium modo, in amplificanda ac illuſtranda Habsburgica Auſtria Domo vſum eſſe videamus: conſentaneum etiam eſt, vt idem in eadem familia primùm in Germania plantanda, eundem modum tenuiſſe ſentiamus.

Hæc ſunt, amice Lector, quæ de translatione ſtirpis Perleoniæ in Germaniam, eiúsq; ſucceſſione in familiam veterum Comitũ Habsburgẽſium explicanda eſſe duximus: qua quidem in re, vt veritatem aſſequeremur, magno ſanè labore & induſtria opus fuit: nam eam quaſi antiquitatis rubigine obductam, atque veterum hiſtoricorum ſilentio, & illius ineruditæ ætatis tenebris obuolutam, recentiorúmque fabulis ac mendacijs aſperſam, non niſi per quaſdam quaſi rimulas nobis intueri licuit: quas quaſi indices ſecuti, limâ rectę rationis adhibitâ, in hunc, quem hoc primo libro deſcripſimus, nitorem ac lucem, propitio ac ſecundo Numine, perduximus.

CAPVT XIII.

Perleones Habsburgiorũ Auſtriorum majores, Aniciorum poſteros fuiſſe.

HActenùs igitur in eo duntaxat verſatus eſt noſter labor & induſtria; vt convulſis adverſariæ opinionis fundamentis, eam de origine Domûs Habsburgiæ Auſtriæ ſtabiliremus, omnibúsque, quibus hucúsque compedita fuit, vinculis expediremus ſententiam; quæ tradit ipſam è Perleonia ſtirpe oriundam eſſe: nunc reliquum eſt, vt quod principiò polliciti ſumus, paucis demonſtremus, Perleones Habsburgiorum Auſtriorum majores, Aniciorum poſteros fuiſſe. Hoc enim fundamento hîc poſito, ſequentibus libris perſpicuè oſtendemus, Auguſtiſſimam Auſtriam Domum à tam alta & generoſa ſtirpe deſcendere, vt non reperiri alia poſſe videatur, quæ huic valeat comparari; ſive generis claritudinem & antiquitatem, aut rerum geſtarũ gloriam, aut opum affluentiam, & Imperij magnitudinem ſpectes; ſive dotes animi ſpiritales, vt raræ culmen eruditionis, ſummum Philoſophiæ apicem, ſupremum Theologiæ verticem; ſanctimoniam vitæ, perennem Confeſſionis laudem, Martyrij palmas, Virginitatis aureolam: quæ omnia in Anicia familia ita excellentia, ita abſoluta, ita ſumma viſuntur, vt hactenùs non habuerit parem, nec videatur poſſe habere ſuperiorem. Ab Anicia autem gente Perleoniam familiam deſcendiſſe, complura vetera monumenta teſtantur.

Ac primùm quidem in medium proferamus Epitaphium Magni Petri Leonis Gordiani, quod ab vxore & filio eius poſitum, ſuperiori ſæculo repertum eſt in monte Aventino Romæ ſub Pontificatu Pauli Papæ III. vt tradit Hieronymus Bardi & Arnoldus Wion, & ſic ſe habet:

Locis ſuprà citatis.

MAGNI.

MAGNI. FLAVI. ANICI. PE-
TRI. LEONIS. GORDIANI.
SENATORIS. AMPLISSIMI.
ROMANORVMQ. PATRITI.
CORPVS. HOC. SEPVLCHRO.
CONDITVM. IACET.
FLAVIA. ANICIA. GORDIA-
NA. CON. P. P. P.
FLAVIVS. ANICIVS. FRANGE-
PANIS. PETRVS. LEO. PET.
LEONIS. F. ANI.
PETRI. LEONIS. N. PAT.
OPT. DEDI.
OBIIT. ANNO. DOM. INCAR-
NATIONIS. DCCXXII.

Ne verò hoc monumentum tibi ocioſè ſpectandum propoſitum Lector exiſtimes, vide quanta in eo exiſtant, ex quibus proficere poſſis. Imprimis enim Perleones germina fuiſſe Anicianæ ſtirpis, ex eo fit teſtatiſſimum; ſiquidem, cùm pater, tum ipſe filius, Anicios ſe profitentur. Deinde perſpicis hallucinatum eſſe Volaterranum, qui putavit Perleones hoc cognomen ſortitos eſſe à Petro Leonis, qui tempore Gelaſij II. & Paſchalis II. Pontificum Romanorum magna in Vrbe potentia floruit; quod etiam Card. Cæſar Baronius exiſtimavit: cùm tamen ex hac ſepulchri inſcriptione, ſicut & ex ſequentibus manifeſtum fiat, eandem familiam hoc cognomine multis ſæculis antè inſignitam fuiſſe. Demùm ex eadem inſcriptione Frangipaniæ familiæ origo demonſtratur: ſiquidem in ea filius Frangipanis appellatur; quod nomen, nec à patre, nec ab avo, nec etiam ab ipſa matre, acceptũ tulit, ſed ab eodem primùm vſurpatũ eſt in memoriam ampliſſimi beneficij, quo ſibi, poſteritatique ſuæ vniverſam Vrbem devinxit, dum Româ ingenti aquarum mole oppreſſâ civibus ſummâ rerum inopiâ laborantibus per ſingulas domos ſcaphâ vectus, frangendo panes ſubveniſſet; vti libro tertio dicemus.

Vbi ſuprà.

Tom. 12. Annal. Eccleſiaſticorum.

Porrò præter dictum Epitaphium Magni Flavij Anicij Petri Leonis Gordiani, aliud quóque pronepotis eiusdem Romæ extat, vt refert Wion, ex quo etiam manifeſtum evadit Perleones, ſeu Petros Leones generis ſui originem ad Anicianam ſtirpem retuliſſe. Eſt vero eiusmodi:

In opuſculo §.12.

MAXIMI. ANICII. STEPHA-
NI. F. PETRI. LEON. N.
CORPVS. HOC. SEPVL-
CHRO. CONDITVM.
IACET.

Fuit hoc Epitaphium Maximo poſitum, vt idem auctor refert, à filijs, nempè Leone & Maxima, quæ nuptui tradita fuit Lucio Statio Diodoro Frangipani propinquo ſuo, vt patet ex ſequenti inſcriptione, in qua ipſa ſe etiam Aniciam profitetur:

Extat deſcripta apud eundem VVionem vbi ſuprà.

DEO. MAGNO. ÆTERNO.
MAXIMA. ANICIA. MAXIMI. PETRI.
LEONIS. F. STEPHANI. N. L. STATIO.
DIODORO. FRANGEPANI. ANTONI. F.
BENEMERITISSIMA. POSVIT. ET. S.
AN. D. INCARN.
D. CCCXCI.

Extat eiusdem Maximæ Aniciæ aliud quoq; Epitaphium, ſed valdè corroſum ac mutilatum, quod nos alibi deſcribemus. Cæterùm ſicut ab hac Maxima Anicia & L. Statio Diodoro Frangipani, Frangipanum familia propagata eſt; ita à fratre eiusdem Maximæ Leone Perleonum poſteritas deſcendit. Ex hoc enim natus eſt Maximus, qui teſte Volaterrano ac Hieronymo Bardi, proavus fuit Magni Petri Leonis, cuius duo nepotes, Rudolphus nempè & Albertus auctores novæ Habsburgicæ familiæ extitêre, vt ſuperioribus capitibus hactenùs declaratum eſt. Igitur vt finem huic libro imponamus, coronidis loco Prototypum graduum Genealogicorum, quos hoc primo libro carptim deſcripſimus, hîc annectamus: nullo tamen præjudicio facto ſeptimo Arboris Anicianæ libro, in quo hæc accuratiùs pertractabuntur.

Locis ſuprà citatis.

PROTO-

PROTOTYPVS

Graduum Genealogicorum familiæ Perleoniæ Habsburgiæ Auſtriæ.

Anicius Petrus Leo Flavij Anicij Leonis Celphij Olybrij filius. *I.*

Magnus Flavius Anicius Petrus Leo Gordianus. *II.*

Flavius Anicius Frangipanis Petrus Leo. *III.*

Stephanus Anicius Frangipanis Petrus Leo. *IV.*

Maximus Petrus Leo Frangepanis Anicius Tertullus Gordianus. *V.*

Leo Petrus Leo Anicius frater Maximæ Aniciæ L. Statij Diodori Frangipanis vxoris. *VI.*

VII.	Maximus Petrus Leo.
VIII.	Stephanus Petrus Leo.
IX.	Leo Petrus Leo.
X.	Petrus Leonis Petrus Leo.
XI.	Leo Maximus Petrus Leo.
XII.	Albertus Dives & Rudolphus filij Leonis Maximi Petri de Leone.
XIII.	Rudolphus Taciturnus Habsburgius Comes.
XIV.	Albertus Sapiẽs Habsburgius Comes.
XV.	Rudolphus I. Imperator.
XVI.	Albertus I. Imperator.
XVII.	Albertus Contractus Archidux Auſtriæ.
XVIII.	Leopoldus Probus & militię decus Archidux Auſtriæ.

Erneſtus Ferreus Archidux Auſtriæ.	XIX.
Fridericus IV. Imperator.	XX.
Maximilianus I. Imperator.	XXI.
Philippus I. Hiſpaniarum Rex.	XXII.
Carolus V. Ferdinandus fratres Imperatores.	XXIII.
Maximilianus II. Ferdinandi filius Romanorum Imperator.	XXIV.
Rudolphus Imp. Matthias Imp.	XXV.

Finis Libri primi Arboris Anicianæ.

Laus DEO B.M. Virgini, S. Bernardo, & omnibus Sanctis Anicijs.

Digitized by Google

Ernestus Ferreus Archidux Austriæ.

Fridericus IV. Imperator.

Maximilianus I. Imperator.

Philippus I. Hispaniarum Rex.

Carolus V. & Ferdinandus fratres Imperatores.

Maximilianus II. Ferdinandi filius Romanorum Imperator.

Rudolphus Imp. Matthias Imp.

Laus Deo B. M. V. omnibusque Sanctis.